3

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

MENSIUM ANOMALIIS CONVULSIVIS,

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO CAROLO,

BORUSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRANDENBURG. RELIQUA,

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE,

DN. MICHAELE ALBERTI,

MED. DOCT. ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, PHILOSOPH. NATURAL. EXTRAORDINARIO, ACADEM. NATUR. CURIOS. COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ h. t. DECANO SPECTATISSIMO,

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE ET PROMOTORE SUO

OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO LICENTIA,

In arte Medica impetranda,

Ad d. Octobr. MDCCXVI. horis ante & pomeridianis,

Publicæ Eruditorum ventilationi ſubmittit,

GEORGIUS ANDR. APPENRODT, Med. Pract.

NORDHUSANO-THURINGICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.

PRAELOQVIUM.

QUando infirmitatem generis humani deſcribere conatur Archiepiſcopus ille *Petrus Chryſologus*, laudabili tunc candore veram ſuam profitetur ſententiam *Serm. XLV.* quando dicit: *quid infirmius homine, quem ſenſus fallit, ignorantia decipit, circumvenit judicium, pompa lædit, tempus deſerit, mutat ætas, hebetat infantia, juventus præcipitat, ſenectus frangit;* quemadmodum etiam *Plutarchus* ediſſerit, quod *homo ſit officina miſeriarum & calamitatum.* Quanquam vero hoc fatum totum genus humanum promiſcue premat, diſcrepat tamen hæc calamitas quoad vitalitatis & ſanitatis ſtatum per *Sexum;* unde *Hippocrates* partim majorem propenſionem & dispoſitionem ad ægrotationes, partim acerbiorem morborum ſtatum in fœminis brevibus indicans & delineans, dicit: *quod mulier bis morbum patiatur*, aut quod duplo plus morbis obnoxia exiſtat, quid quod in diverſis morbis duplo plus laboret; ut mirari facile contingat, quî femellæ, quibus unanimi quaſi conſenſu ma-

jor teneritudo & imbecillitas adſcribitur, tanta pericula ſuperare & è tot ſonticis morbis emergere queant, cum maſculinus ſexus & animo & corpore firmior & conſiſtentior talia atque tanta pathemata ſufferre haud poſſit; quare laudatus Senex *Lib. 1. de Morb. Mul.* tanto ſtudio notitiam cauſarum in morbis fœminarum inculcat, quando eloquitur: *Medici peccant non exacte cauſam morbi percunctantes, ſed velut viriles morbos ſanantes - - - Multum enim differt muliebrium morborum & virilium curatio*, ſicut in indagandis cauſis in *eodem Libro* ex parte indicat, cur viri infrequentius ægrotent, quando dicit: *cum corpus viro non ſit tenerum, non dolore affligitur, neque ſuperincaleſcit à plenitudine* ὑπὸ πληθώρης, *velut mulieri: multum autem confert ad hoc viro, quo magis laborat quam mulier; nam labor aliquid humoris abducit.* Quemadmodum vero, tam quoad animi majorem ſenſibilitatem & mollitiem, quam quoad corporis frequentiorem alterationem in fœminis ſemper eximium diſcrimen obſervatum fuit, ut jam varii Patrum Eccleſiaſticorum ut *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Clemens Alexandrinus* fœminas aſſimilaverint Ægyptiorum templis, *quæ exterius ſplendent, interius ſordent*, proinde etiam *Livius* fœminam *impotens natura & indomitum animal appellaverit*, & per jocum *Laco* ille, cujus *Plutarchus* mentionem facit de *Frater. am. cum puſillam uxorem duxiſſet*, dixerit *ex duobus malis minimum eſt eligendum:* ita ſine tantorum teſtimoniorum cumulo, diſcrimen hoc ad medicam rationem & utilitatem applicare volumus. Etenim ſeqvior hic ſexus, *non modo* ſubjectum eſt *freqventioris* & copioſioris ægrotationis, quæ videlicet & *numero* & *ſpecie*, maſculorum morbos ſuperat, dum femellæ diverſis

men-

menſtruarum ſuarum purgationum viciſſitudinibus & ſucceſſibus, partus multiplicibus alterationibus & alteratis multiplicationibus, geſtationis numeroſis incommodis, lactationis eximiis moleſtiis, ſui & infantum regiminibus & ultimis denique menſium ceſſationibus, indeque pendentibus diverſis vitalium ordinum & conſvetudinum offenſionibus, ſubmittuntur; quo adhuc fœminarum exactam ſenſibilitatem, animi teneritudinem & proclivitatem ad patheticas commotiones, malas, domeſticas, præjudicantes & obfirmatas conſuetudines, philavtiam, pervicaciam & malam educationem annumeramus & commemoramus, quam poſteriorem Presbyter ille Alexandrinus *Clemens in pædagog. cap. 10.* maxime carpit, & inter cauſas defectuum & morborum ſequioris ſexus imprimis recenſet aliisque præfert: ut non ſilentio obliteremus quid in quibusdam nimia deſidia, aut ſufficiens alimentorum ingeſtio, & parcior potulentorum aſſumtio, quæ communis fermè eſt irregularitas in fœminarum vitæ genere occurſans, vel inordinata aut nimis ſollicita, ſcrupuloſa, conſcientioſa & delicata diæta, vel excretionum ordinariarum ob pudorem & inopportunitatem, loci, temporis & occaſionum retentio, aut per conſvetudinem denique nacta oblivio, aut occultæ ſolicitudines, curæ, neceſſitates & deſideria, quæ ob pudicitiam revelare verentur femellæ, (de qua circumſtantia illud valet, quod inter alia redarguit *Hippocrates* l. c. dum dicit: *verentur narrare, etiamſi ſciant, & præ imperitia ac ignorantia turpe ſibi id eſſe putant*) ad augmentandos & accelerandos morbos conferant & valeant: *ſed &* porro fœmininus ſexus magis pronus eſt ad acerbiores affectus aut tolerabiliorum affectuum

acerbiores & immoderatiores gradus, teſtimonio pathematum congeſtoriorum, ſpaſticorum, maximè vero apparatuum & moliminum hæmorrhagicorum, in qua poſteriori circumſtantia, nobis non ſatis adæquata videtur ſola aut principalior accuſatio teneritudinis corporis, nedum quidem plenariæ debilitatis, cum acerbiores motus i. e. vehementiores intenſiones Toni, & debilis, aut imbecillis energia & corporis conſtitutio nobis videntur eſſe contradictoria. Habent vero in tali ſua conditione femellæ aliquid ſingulare & quaſi nomine prærogativæ denotandum, præ maſculino ſexu, à divina benignitate conceſſum, ut dum maſculi ad labores præcipuè dicati, ablegati & conſecrati ſunt, ipſis in reliquis calamitatibus, ſtatum vitæ & ſanitatis concernentibus, *labor* medicina ſit, quod antea ex Hippocratis teſtimonio affirmavimus, femellæ vero magis domeſticis curis inhærentes & ad pariendum deſtinatæ, firmiori tolerantia moleſtiarum & incommodorum præditæ obſerventur, quæ propterea in tantis morbis diutius perdurare poſſunt quam viri, cum præcipuè connatam morborum faciliorem & promptiorem perpesſionem & conſvetudinem ægrotandi nanciſcantur, ſiquidem partus, puerperium & cum hoc connexum negotium Menſium certo reſpectu morbus appellari mereantur, quanquam utilitatem & ſalubritatem ſuam includant & contineant. Quam multiplicati vero fœminarum morbi eſſe obſervantur, ex illis tamen nulli alii iniquiorem & deteriorem indolem habent, quam qui extra ſuum ordinem ceſpitant aut variam aut plenariam *irregularitatem* involvunt, in ipſa vero hac ſua declinatione & inæqualitate, extremis maximèque violentis

mo-

motuum gradibus invadunt, inſiſtunt & continuant. Inter alios vero fœminarum ſtatus nullæ frequentiores ægrotationes occurrere ſolent, quam circa *Menſium* legitimum ſucceſſum verſantes, ex illis vero nullæ intricatiores & magis refractariæ atque operoſæ ſunt, quam irregularitates quas *anomalias* vocamus: & inter has nulla magis momentoſa & ominoſa eſt, quam quæ cum *convulſivis* motibus, ſchematibus & cruciatibus, formatur & abſolvitur, unde in hanc obſervationem majori ſtudio inquirendum & introſpiciendum eſſe judicamus. Tentabimus noſtras vires, & quantum divina benignitas permittet, hanc dignam materiam circumſpiciemus, & dum Inaugurale ſpecimen ſiſtere debemus, de *MENSIUM ANOMALIIS CONVULSIVIS* ſpecialiori diſquiſitione agemus. Adſiſtat nobis in præſentis obſervationis Medico-Practicæ deductione & digna commendatione, divina clementia, quo non modo certam & fidam veritatem in hac tractatione inveniamus & propagemus, ſed etiam ex univerſo hoc negotio multos ſalutares, in emolumentum calamitatis humanæ redundantes, fructus, ad vota noſtra aſſequamur.

Theſ. I.

QVanquam multiplices menſtrui fluxus irregularitates occurrant, quæ in incongruis *motuum* & *ſucceſſuum* gradibus, in perturbatis horum *ſubordinationibus*, in inæqualibus & convenientem *methodum*, qua ordinatè & debitè Menſes promoveri debuerant, offendentibus & deſtituentibus proſecutionibus, & in transgeſſionibus atque violationibus rationum, regionis, loci, menſu-

ſuræ, ſufficientis quantitatis, temporis, occaſionis, imprimis vero in læſione veræ *proportionis* motuum ad debitos ſuos effectus conſiſtunt; nulla tamen ex omnibus hiſce Anomaliis gravior & crudelior exiſtit, quam quæ *convulſivis* motibus abſolvitur & circumſcribitur. In *generaliori* quidem conceptu *Anomaliæ* Menſium dicuntur, quando *motus* tales ad expediendam & abſolvendam purgationem menſtruam, vel *nimii* ſunt, vel *confuſi*, vel etiam *vagabundi* & transfugi, & in hiſce qualitatibus *loca* congrua neque legitime occupant, neque juſte tractant, ſed facile ab iisdem *deflectunt*, in iisdem *excedunt*, aut plane deficiunt, hinc alia vel remotiora, attamen ob progreſſivum ſanguinis circuitum in aliqua communione conſiſtentia, nimirum abdominis & hypochondriorum loca, vel remotiſſimas plane regiones & vias invadunt, & in illis ſine debito ordine & ſucceſſu, quin ſine ullo moderamine pererrant, modo hæc, modo alia molimina hæmorrhagica formant, quid quod nonnunquam in actualem evacuationem *ſangvineam*, à locis menſtruis *diſtantem*, aut loco hujus, in excretionem *ſeroſam*, *menſtruam* tamen purgationem repræſentantem, cum multis incommodis & periclitantis ſanitatis characteribus ſtipatam, erumpunt; inſimul in *immorigera* tali indole obfirmantur & veſtigiis hiſce ſemel ceptis & adſuetis maxima cum *contumacia* inſiſtunt, medicationi, quamvis *convenienti*, non ita confeſtim obtemperant, artificia vero non ſatis *apprime* huic ſtatui reſpondentia majori acerbitate & importunitate *reſpuunt* & proſequuntur, quin facile & ſæpe ſatis cito in peſſima & vix corrigibilia conſectaria degenerant: ut admiratio quempiam occupare queat, unde *materiis* tanta vis & efficacia accidat, qua ejusmodi *horridos* effectus & terribiles ſtrages edere queant, ni hoc loco quisquam *menſtruo* ſanguini aut *atrabilario* humori, ſuſpectam illam virulentiam affingere & adſignare velit, cui hæc pernicies imputari queat: miſſis illis traditionibus, quæ *veneni* geneſin

ſin in corpore humano & inde repentinam noxam arceſſunt, de qua re conferatur *Zacut. Luſitanus M. P. H. Lib. I. hiſt. 51. Lib. II. hiſt. 20. Prax. adm. Lib. 3. obſ. 132. Stephan Rodericus Caſtrenſis Tr. quæ ex quibus lib. 2. cap. 7. Ammannus in Irenico Qv. an Mercurius ſublimatus ſit venenum extemporaneum.*

Th. II.

Ex omnibus itaque, quot quot etiam occurrunt, anomaliis, menſium negotium ſtipantibus, nullæ majori commiſeratione dignæ, aut adeo *horridæ* obſervantur, quam quæ cum *extremis* motuum viribus & gradibus urgentur & vel repentinam mortem comitantur, vel maxime *miraculoſa* & implicata pathemata complectuntur: ut ut vero anomaliæ circa idem negotium occupatæ in vehementes & exceſſivas hæmorrhagias deſinentes, ſatis ſint terribiles, quia metus corripit, ne anima cum ſanguine emittatur, attamen hic poſterior ſtatus cum priori atrocitate & gravitate pugnat, quin eundem plane ſuperat, dum non modo *exceſſiva* & extrema illa motuum anomalicorum exercitatio in ſe ſpectata valde violenta eſt, ut nullæ aliæ Menſium anomaliæ, motuum gradu & valore æquipolleant, ſed dum adhuc idem ſtatus innumeras horum motuum variationes, inverſiones, & applicationes, cum miris & copioſis ſymptomatibus, inferat, ut una ſola hæc anomalia ſingulas reliquas quaſi in uno ſchemate & *ſyſtemate* repræſentet. Quantum itaque in hac conſideratione prærogativæ teneat debita diſquiſitio & connexio *motuum*, tali gradu & ſtatu exorbitantium, præ *materiæ* qualicunque ſuppoſita *inimica* craſi, facile totus complexus ejusmodi morbi atteſtabitur, dum cum miſerandis ejusmodi affectibus illæ plurimum correptæ conſpiciuntur femellæ, in quibus ob bonam diætam, nullis ſuſpectis & ſaporibus & ſalibus inquinatam, & ob bonum externum aſpectum, colorati & flori-

di

di habitus, vix tam pernicioſa & venenoſa materia concipi aut bono jure ſupponi poteſt, licet contra in iisdem ut plurimum *ſenſibilitas*, mollities & incongruum moderamen in moralibus accuſari queat, ut ex parte in eo fundamentum ſuppeditetur, quo *motuum* magis anomaliæ, quam *materiarum* dyſcraſiæ & panicæ virulentiæ nituntur; tanto magis vero dum ex ipſa indole talium morborum liquet, quam facile iidem in perfectam *conſvetudinem* degenerent, quam ipſam vero *materiæ* aut qualitatibus materialibus, quoad *eſſentialem* ſuam conditionem adſcribere velle, nobis non ſatis adæquatum videtur: quo denique accedit, quam parum huic opinioni de venenoſitate materiæ, reſpondeat illa Therapia & quodlibet reliquum conamen artificioſum, materiarum harum correctionibus, inverſionibus, implicationibus & evacuationibus, intentum.

Th. III.

Sermo nobis eſt de *Convulſivis Anomaliis Menſium*; neque enim in propoſiti hujus thematis ſenſu aliqua difficultas aut ambiguitas hæret, cum animus ſit diſſerere de *irregularibus* menſium promotionibus & commotionibus per motus *convulſivos*, tanquam extrema *Tonici* motus augmenta; qua occaſione itidem laborabimus inculcare, quomodo hæ convulſiones, non modo cum *Menſium* negotio conveniant & *affinitatem* habeant, ſed & quomodo menſtruam evacuationem proſeqvantur, & ad *exitum* neceſſarium urgeant, maxime quidem in *inſolitis* viis & regionibus, aliquando etiam in *congruis* partibus atque locis: quo loco ſtatim alterum illum ſenſum declinamus, ne convulſivi tales motus ex *materiali* ſangvinis menſtrui qualitate & conſtitutione ſupponantur, neve ut *effectus* à materia peccante pendentes obtrudantur & perorentur, cum tamen multis femellis etiam in evidenti humorum *dyſcraſia* conſtitutis, ſub reliqua menſium imminutione aut ſuppreſſione, nulli tales convulſivi gradus familiares exiſtant, quod tamen juxta hypotheſin eſſe & fieri deberet, ut præſen-

ſente *cauſa*, præſens ſit *effectus*. Et dum convulſivi tales motus aliquando *univerſales* ſunt & totum corpus affligunt, quandoque vero tantum *particulares* & ſingularia quædam membra, loca & regiones offendunt, nonnunquam *interni*, præcipue in abdomine & circa diverſas hujus partes, interdum etiam *externi* & in extremitatem corporis excurrunt aut evagantur, hinc hoc loco colligemus ſingulas tales convulſivarum anomaliarum ſpecies, & notabimus quotuplici Schemate & ſpecimine motuum in convulſiones degenerantium menſtruus fluxus acriter promoveri ſoleat; dum aliquando etiam contingit, ut ſub anomaliis Menſium *congeſtoriis* & ſpaſticis, aliquando hi exceſſus *convulſivi* concurrant, & totum ſtatum vehementiorem & immoderatiorem reddant: quemadmodum itaque convulſivæ tales anomaliæ cum ſpaſticis & congeſtoriis *alternant*, adeo ut vel ſuperveniant aut ſequantur, vel antecedant & præcurrant, ita hac vice ſolum convulſiva illa ſyſtemata anomaliarum ad menſtruam evacuationem pertinentium indicabimus & explicabimus.

Th. IV.

Quo magis vero intricatus talis eſt affectus convulſivus & quo minus ſatis cognitus eſt in Medicina, eo dignior exiſtit, quo peculiari cura notetur & explicetur, ne cum aliis convulſivis morbis *promiſcue* æſtimetur & tractetur, neve ad *novas* morborum ſpecies referatur, quod familiariter fieri ſolet: quoad primam circumſtantiam, quandoque ejusmodi affectus pro epilepſia habetur, cum tamen convulſio in eodem occurſans modo *opiſthotonum*, modo *emproſthotonum*, modo *Tetanum*, modo etiam *epilepticum* paroxyſmum referat, quin aliquando cum ejusmodi convulſionum ſpeciebus alternet, aut in acerbiores harum gradus aſcendat, neque ſimplicem & unicam convulſivi affectus ſpeciem conſtituat: dum vero in tot convulſionum ſpecimina degenerat, maximeque *complicatum* affectum exhibet, altera illa cautela inculcanda & obſervanda eſt, ne novus

ſtatim exinde morbus *fingatur* & declametur: qui ſaltus mox animum ſeducit, ut naturales cauſæ prætermittantur & obliterentur, & ex *credulitate* quadam confeſtim *ſupranaturales* influxus, vires & concurſus culpentur, atque ita animus in nuda *ſuperſtitione* hæreat: abſit vero à nobis quam maxime, quo ullo modo contra divinum directorium ſuper vitam & mortem hominum ſiniſtrum quid cogitemus, quin indefeſſim devoto animo veneramur *providentiam* Dei, Domini omnipotentis, in cujus manu vita & mors noſtra eſt; illas tantum evitamus credulitates, quæ in *ſubſtrato* negotio occurrunt, quando cauſæ *naturales* cum *ſupranaturalibus* confunduntur, & in ejusmodi circumſtantiis præcoci pruritu ſingularis *myſtica* inſpiratio & prophetica quaſi agitatio aut *immediata* divina concurſio & diſpoſitio colitur & declamatur, cum tamen hæc de quibus nobis ſermo eſt, phænomena ſint, *aberrantis* animæ humanæ, aut evidentes errores Naturæ poſt lapſum in vitali negotio æque depravatæ & corruptæ, & ab ægrotationibus, & ultimo peccati theſauro, qui lethum conſtituit, minime liberæ; unde non niſi execranda blaſphemia eſſet, Deo ſancto & juſto tantos errores imputare velle: ne itaque hoc fiat & ut quilibet Chriſtianus Medicus in negotio tali prudenter & circumſpecte verſetur, intereſt ut quaslibet occurrentes & intercurrentes circumſtantias hujusmodi affectus rite perpendat & conferat, & ne in erronea judicia præceps ruat, ſed anomalias tales convulſivas digne penſitet atque tractet.

Th. V.

Alter abuſus, qui in dijudicandis ejusmodi complicatis & ſonticis affectibus committi paſſim ſolet, conſiſtit in accuſatione *diabolicæ* pernicioſæ poteſtatis & veri *incantamenti*, quando ſolum horribiles morborum talium conſpectus attenduntur, & terribilia atque miſerabilia tantum pathemata obſervantur, haud vero in corrupta maxime

meque *erronea* natura tanta poteſtas agnoſcitur, qua truculenta talia motuum & affectuum ſchemata formare poſſit; cum potius cognitum eſſe debeat, quantum degeneraverit anima humana, & quantos errores tam in cognoſcendis, æſtimandis, & percipiendis, quam dijudicandis, tractandis & dirigendis objectis committat, ut nulla dies ſine *errore* decurrat, quin potius natura ejus promptitudinis & energiæ ſit, ut in innumeras *anomalias* & amethodias exerret, de quo negotio actum fuit â *D. D. Præſide in Diſp. de Amethodia Naturæ: conf. diſp. Illuſtris Stahlii de morbis corruptis & de Erroribus Naturæ medicis*: mirum itaque eſſe non poteſt ſi credulus animus, miſerandum animæ humanæ ſtatum non agnoſcens, ſed ſolum corporeis rationibus & mutationibus inhærens & gravitatem effectuum & conſecutionum penſitans atque metuens, mox diabolum invehit; utut vero errorum prima cauſa eſt diabolus, non tamen propterea *proxima* & *immediata* affectuum talium cauſa exiſtit, cum ipſa *natura humana* tantarum anomalicarum actionum proxima cauſa ſit; neque quidem pugnat cum diaboli charactere & intentione, ut quovis modo crudelitatem ſuam in hominem exerceat, quem propterea etiam homicidam nuncupavit Spiritus Sanctus, ut ſi conceſſum ipſi eſſet, totum genus humanum quoad animam & corpus omni ſalubritate ſpoliaret & perderet; attamen non ita præfeſtinate integrum eſt diaboli *immediatam* vim culpare in talibus affectibus, cum homines innumeris *erroribus* aut erroneis actionibus hoc malum propagent, quod primum diſſeminavit Satanas; & ſicuti aliquando homo homini diabolus eſt, ita perſæpe homo ſibi ipſi diabolus exiſtit, & ſemet ipſum multis bonis & ſalutaribus ſucceſſibus & perfruitionibus fraudat: hinc non ſine ratione concludimus & judicamus, quod multus error committatur in accuſatione occultæ, malæ & diabolicæ poteſtatis circa *ejusmodi* affectuum diſquiſitionem.

Th. VI.

Quod vero arduos tales affectus anomalicos convulſivos concernit, ſunt illi inter reliquas Menſium anomalias, *rariores*, ſive adhuc in *mitiori* quodam gradu conſiſtant, ſive completam atque *totalem* convulſionem conſtituant: in qua circumſtantia devotiſſimo animo excipienda eſt *divina* clementia, quæ tam ſonticos, & præ aliis convulſionibus maxime acerbos affectus, non ita frequentes eſſe concedit, ſicut alii tolerabiliores, circa idem Menſium negotium occupati, affectus exiſtere ſolent, adeo, ut e *centum* femellis, aliis Menſium anomaliis laborantibus, vix *una* perfecto & *totali* convulſivo ejusmodi morbo corripiatur, aut oppreſſa deprehendatur: quæ infrequentia tanto magis eluceſcet, ſi ex illis hiſtoriis in vulgatis obſervationibus medicis occurrentibus, affectum hunc commendantibus & deſcribentibus, computatio & comparatio inſtituitur, ad *reliquas* Menſium anomalias, quæ poſteriores multo numero ſuperant priorem anomaliam convulſivam: licet vero talis affectus per Dei gratiam non ita frequenter obſervetur, propterea vero minime negligenter & ſuperficiarie æſtimari, explicari & tractari debet; neque quisquam propterea moram aut otia nectat, in digna hujus morbi disquiſitione & commendatione, quia forte raro occurrit, quin eapropter ſolertiorem indagationem meretur, quia tam ſonticus & *gravis* exiſtit, quia cum familiariſſimo illo negotio *menſtruæ* purgationis cohæret, quia *aberrationes* naturæ & inde pendentes calamitates & miſerias humanas magis prodit, quia *ordinum*, in menſtruis excretionibus ſangvineis fœminarum, ſervandorum *defectus* & læſiones magis exponit, quia hoc negotium tantum multis locis ut *obſervatio* quædam rariſſime eveniens, per modum *miraculoſi* caſus, tractatum reperitur, quia eo magis inſtruit & præparat animum, quo hoc negotium menſium ejusque *ſalubritas* magis intelligatur, quia tanto magis animum excitat, quo in cura, ſeu medica, ut anomaliarum menſium in genere, ita *con-*

vul-

vulſivarum anomaliarum in ſpecie, tractatione omnem intentionem & cooperationem ad *conſvetum* menſes expediendi & promovendi *ordinem* transferat: quippe qui uſus in *rariori* licet hac obſervatione tamen in *Theoria* & *Praxi* medica *multiplex* eſt, qui ex ejusdem digna evolutione & pertractatione profluit. Hoc vero loco adhuc neceſſe habemus, quo moneamus, ne dum de infrequentia hujus anomaliæ agimus, nobis *frequentia* ejusdem obtrudatur, quod fieri facile poteſt, ſi juxta multorum mentem & opinionem *ſpaſmi* & *convulſio* una eademque res ſunt, cum tamen ſpaſmos a convulſione conſtanter diſtinguamus, & de *ſpaſticis* menſium anomaliis aſſeveremus, quod ſint *frequentes*, minus vero de *convulſivis*.

Th. VII.

Ita ſeorſim adhuc illa circumſtantia in generica hujus negotii commemoratione notanda eſt, quod ad convulſivas tales anomalias diſponat ſingularis *ſenſibilitas* & conditio *animi*, tam circa *mores*, quam *affectus* occupata: quanquam enim femellæ in genere majorem *teneritudinem* in animo contineant, tamen ineſt hiſce, de quibus loquimur, ſingulare quid, & non modo exquiſitior ſenſibilitas & teneritudo ſeu flexilitas & mollities, per quam faciles & efficaces alterationes ſuſcipiunt, ſed etiam firmior & celerior *apprehenſio*, & intimior *æſtimatio*, ſeu grati & accepti ſeu valde adverſi & alieni: quo accedit, quando ejusmodi femellæ in occurſantes res firmius & contumacius animum *defigunt*, intimius & cum multa ſenſibili averſione de tali objecto *ſpeculantur* & ad quascunque actiones impetuoſa & *incontinenti* animi propenſione agiles & proclives ſunt, nec non facile in iisdem excedunt, ad minimum animo non ita facile *tranquillæ*, compoſitæ, & quietæ exiſtunt, ſed multum atque diu adverſa volucant & recolunt: Quoad *Affectus* vero ſeu animi pathemata ejusmodi femellæ proniores deprehenduntur ad *terrorem* & *iram*, ita ut levis occaſio has perturbationes in

iisdem provocare poſſit; unde *frequens* terror non modo invaſiones tales *promovet*, ſed & magis *exacerbat*, & intendit, aut plane obfirmat: & quanquam antea de infrequentia *generali* convulſivarum talium anomaliarum dictum ſit, tamen hac vice adhuc notamus, quod *terror* paroxyſmos hoſce convulſivos *frequentius* provocare & excitare poſſit, in illis præcipue ſubjectis, quæ ſemel hoc affectu correpta ſunt: Id quod ex parte etiam valet de *ira*; quemadmodum alias hæc pathemata in genere ad *convulſivos* morbos diſponere & præparare ſolent: non penitus excludimus immorigera *deſideria*, quæ cum intima & profunda *anxietate* foventur, formantur, continuantur & confirmantur, tanto magis, ſi quædam ſchemata prædictorum vel morum vel affectuum concurrunt: quocunque itaque tempore hæc animi coſtitutio activior, vegetior & impatientior eſt, inſuper etiam cum eximia *ſenſibilitate* conjuncta, eo non modo facilius & certius invitatur, ſed etiam efficacius & impetuoſius inſiſtit & progreditur, affectus talis convulſivus.

Th. VIII.

Manuducit nos hæc ultima animadverſio ad ulteriorem diſquiſitionem *Ætatis*, in qua nimirum femellæ hoc convulſivo affectu corripi ſolent, aut obrutæ obſervatæ ſunt; quemadmodum vero convulſivi (non vero ſpaſtici) affectus, adultiores ætates non corripiunt i. e. *primò* demum invadunt, ni ex *aliis* ætatibus in adultiores continuent & tranſeant, ſed juxta *Hippocratis* obſervationem & commendationem *teneriores* & *juniores* ætatum periodos attingunt, (uti juxta ſenſum ejus *Sect.* 3. *aph.* 25. in infantibus σπάσμοι *convulſiones*, *aph.* 29. vero ἐπιληψίαι *comitiales* morbi vocantur) ita ejusmodi *anomaliæ menſium convulſivæ* minime uſitato femellas adultiores, in matrimonio degentes, ſed magis *juniores*, vel in *initiis* fluxus menſtrui conſtitutas, vel in ætatum *conſequentium* proximo ſucceſſu, intra decimum tertium & vigeſimum annum com-

pre-

prehenſas aggrediuntur, quo etiam tempore prædictus ſtatus animi *delicatior*, flexilior, mobilior & ſenſibilior eſſe deprehenditur: ſermo vero eſt de perfecta & totali convulſione: quod enim *particularem* convulſivam talem anomaliam attinet, extendit ſeſe eadem adhuc in majores & *adultiores* ætates, ſiquidem illæ ætates, quæ *hyſtericis* magis pathematibus obnoxiæ ſunt, etiam particulares tales anomalias menſium convulſivas experiuntur: & quando practici de epilepticis cruciatibus, puellas pubertatis periodos ingreſſas, invadentibus diſſerunt, communiter illos cum hoc *Menſium* ſtatu concurrere obſervarunt, qui in junioribus adhuc ætatibus morboſam illam conditionem aſſumunt, qualis imminutio aut plenaria ſuppreſſio menſium eſt, quæ in virginibus *frequentius* annotatur, quam in maritatis: quid quod confirmat adhuc ſolers experientia, quod truculenti ejusmodi caſus ſub *matrimonio* ceſſaverint, aut cum *puerperiis* & legitima uteri purgatione per debitum *Lochiorum* fluxum excurrerint.

Th. IX.

Præter ætatem, ratio inſuper habenda & mentio injicienda eſt *Temperamenti* quod peculiarem diſpoſitionem habet in ejusmodi anomalias convulſivas: quo reſpectu talem temperamentorum *commixtionem* aliis præferimus, quæ ratione *morum* atque *corporis*, ad ſubeundum talem morbum quadrat; quoad prædictos *mores* ſubjacent talibus motibus convulſivis non modo, ſed & variis irregularitatibus in rebus inſolitis, arduis & difficilibus, in aliis etiam affectibus, occurrentibus, *Sangvineæ* conſtitutionis femellæ, utpote *tenerioris* ſenſibilitatis & ad frequentes animi *commotiones*, præfeſtinate iracundas & vehementer terrificas, pronæ, quid quod ad malas *conſvetudines* valde proclives; quin ejusdem temperamenti ſubjecta habent inſuper diſpoſitionem majorem in convulſivos motus, reſpectu habitus corporis *poroſioris* & magis fibroſi atque flexilis

indeque ad faciliores fibrillarum *conſtrictiones* gradu augendas & remittendas proclivia exiſtunt: ex *corporis* etiam aptitudine ad easdem anomalias inclinant, in quibus ſangvis eſt aliquo modo *ſpiſſior*, adeoque ad promptam atque facilem *expreſſionem* ineptior, ut propterea menſes paulo *impeditius* & erumpant & profluant, qualem ſtatum *Melancholicum* Temperamentum offert: quare femellæ in diſcreta mixtione *Sangvineum* & *Melancholicum* temperamentum nactæ ob *animi* & *corporis* convenientiam & aptitudinem, motibus *hiſce* anomalicis convulſivis reſpondentem, huic affectui plus, quam aliæ ſubjacent. Quo adhuc rationem *hæreditariæ diſpoſitionis* accenſemus, & indicamus, quod femellæ, quorum parentes vel ſpaſticis ſolum, hypochondriacis, nephriticis, arthriticis, podagricis, & initiis hyſtericis, vel actualibus convulſivis affectibus laborarunt, matres imprimis qualibuscunque menſium anomaliis, cum tenacioribus ſpaſmodicis motibus ſtipatis, afflictæ fuerunt, non modo difficiliores & operoſiores Menſium eruptiones & ſucceſſus experiantur, ſed ſimiles, imo graviores adhuc *anomalias* incidant, quæ facilius in convulſiva ſchemata degenerant, & ex illa *connata* cauſa motuum *ſpaſmodicorum*, quaſi *primum jus*, poſſeſſionem & acerbitatem acquirunt: & hæc innata & per *generationem* propagata anomalia eo *immoderatior*, contumacior atque in ultimos exceſſus pronior exiſtit; quo etiam ſedulo in præſentis negotii condigna cognitione attendendum & inquirendum eſt, ut non modo *indoles* ejusdem recte innoteſcat, ſed & ut juſta *prognoſis* formari queat, quo Medicus ſciat, quantum in ejusmodi morboſo ſchemate ſperare, promittere & proſequi debeat, ne ex indiſcreta hujus, alias complicati, affectus, æſtimatione & tractatione tota ſua ſpe & contentione fruſtretur.

Th. X.

Quod itaque ſpecialiorem convulſivarum harum anomaliarum, menſium fluxum ſpectantium, diſquiſitionem

con-

concernit, ordo tractationis noſtræ poſtulat ut *Hiſtoriam* Tragici ejusmodi affectus delineemus, poſteaquam *generaliores* circumſtantias & requiſita ad hiſtoricam hanc conſiderationem pertinentia, præmiſerimus: quod vero ipſum factum attinet, nimirum quod *menſium* vitia comitentur *convulſivæ* commotiones, ita id ipſum obſervatum & indicatum legitur ab *Hippocrate*, qui in genere quidem in initio *Libri I. de Morbis Mulierum* ſic ſentit: *Mulier, quæ non peperit, gravius & citius à menſibus ægrotat, quam illa quæ peperit*, mox ſubjicit: *ſi vero affectio aliqua mulieri quæ jam peperit accidat, ut menſes venientes probe purgari non poſſint, facilius dolorem feret, quam ſi non peperiſſet*: porro iterum addit: *ei quæ non peperit, cum corpus non adſvetum ſit, menſes laborioſe prodeunt, & affectationes plures accidunt*, & quando in *Libro* de *virginum morbis* varia animi & corporis pathemata & inter illa etiam quædam *convulſiva* nimirum *ſtrangulatoria* recenſuit, annectit circa finem: *ego vero jubeo virgines cum hujusmodi patiuntur, quam citiſſime viris cohabitare, ſi enim conceperint ſanæ fiunt*: quanquam itaque hiſce in locis *Hippocrates* de gravioribus & numeroſioribus afflictionibus ſermonem habeat, quas patiuntur ejusmodi femellæ, quæ ratione ætatis & occaſionum à nobis in præcedentibus deſcriptæ, *convulſivis* anomaliis ſubjacent, quanquam adhuc ſpecies *convulſivarum* commotionum nominet, ut ſtrangulationem cordis & faucium, imo quanquam alia pathemata recenſeat, quæ convulſivis ejusmodi anomaliis ſuperveniunt, ut *phantaſias* & *deliras* mentis ſeu rationis mutationes & inverſiones, attamen *expreſſis* magis verbis mentionem facit talium *convulſionum* quando in *Libro Coacar. Prænot.* dicit: *menſes non ſupprimi commodum eſt, ex talibus comitiales* (ἐπιληπτικά) *morbi fiunt*: quo referimus textum *Libri I. Prorrheticorum* quo aſſerit: *convulſiones in his, quæ ab utero ſtrangulantur, ſine febre* (ubi *Galenus in comment. III.* ſuper hunc textum, inflammationes uteri excipit, quæ com-

muniter cum febre ſtipatæ ſunt) *faciles ſunt*: haud vero neceſſarium eſſe reputamus, ut multa teſtimonia è Practicis & obſervatoribus colligamus, cum plurimi attenti Medici abunde ſcriptis & dictis ſignificaverint, quomodo menſium reſtrictionem & *defectivum* maxime vitium epileptici motus proſequi ſoleant: *confer. Foreſtus Obſ. Med. Lib. X. obſ. 66. Raymund. Joh. Fortis, Conſ. & Reſp. Med. Cent. 1. Caſ. 46.*

Th. XI.

Exſerunt ſe ſe tales *convulſiones* motibus illis manifeſtis & in ſenſus currentibus, corpus *externum* & diverſa ejus membra occupantibus & effectibus vel *epilepticis*, caput & reliquum corpus enormiter convellentibus & quaqua verſum concutientibus, trahentibus & retrahentibus, ſuccuſſatoriis & extenſoriis, palpitabundis & contuſoriis, vel *opiſthotoni* ſpeciem referentibus, quando corpus *retrorſum*, ſed ſatis rigide contrahitur, ut coxæ & ſcapulæ comprimantur atque abdomen attollatur; vel *emproſthotoni* indolem aſſumentibus, nimirum *antrorſum* corpus & ſatis quidem vehementer conſtringentibus, ut genua ad mentum contrahantur: vel induunt tales convulſiones aliquando *catalepticum* ſtatum, quando totum corpus in *rigida* quadam extenſione & maxime firma manuum conſtrictione detinetur, apertis licet oculis, abſente tamen & *ratione* & *ſenſu*, maxime vero, quando ſubjecta aliquandiu in illo *ſitu*, in eadem *actione*, & illo conſpectu externo, tam circa vultum, quam reliqui corporis geſtus, convellente rigido motu conſervantur, donec iterum ſucceſſive ceſſet ejusmodi tragœdia admodum horrida & miſerabilis: quin evenit in quibusdam ut *alternatim* corpus cum ſuis membris convellatur, modo *caput* antrorſum, retrorſum & lateraliter, modo *brachia*, cum maxime violentis & fortisſimis contuſionibus & percuſſionibus, modo *manus* atque *digiti*, modo *dorſum* & *coxæ*, modo deniq; *pedes* affligantur, qui ſurſum iterumq; deorſum trahuntur, & miris circumgyrationibus extenduntur, aut inter ſe compli-

cantur, ut extricari nequeant, modo ad ſuperiores partes rigide ducantur, & in hoc rigore conſerventur, ut extendi non poſſint; ita ut plane interdum talis poſterior ſtatus, ominoſam illam *Viti Choream* æmuletur, aut quandoque in inevitabilem & incorrigibilem *contracturam* degeneret: inter alios ejusmodi caſus reminiſcitur *D. D. Præſes* illius, qui in populoſa urbe imperiali ipſi obtigit in filia cujusdam civis, manubriis corneis, pro cultris, conficiendis, operam dantis, valde Plethorica & inſufficienti menſium fluxu laborante, variis animi perturbationibus obnoxia, quæ crudelem talem convulſivum morbum incidit, ſub cujus iteratis paroxyſmis rationis impos parietes cubiculi aſcendit & ſubſilivit, uti exprimunt an Wänden hinauf klettern, cui cum pillulis Stahlianis benedicente Deo efficaciſſimam opem contulit, adeo ut poſtea omnis accuſatio incantationis ab aliis formata & oblata evanuerit, & convulſivi illi terribiles motus acquieverint.

Th. XII.

Adeo quidem *diſcrepant* ſchemata convulſionum in externo corpore, aut ita plane *alternant*, quin per viciſſitudines magis magisque *exaſperantur*, communiter vero in illis violentis membrorum contuſionibus & pedum calcitrationibus conſiſtunt, atque per diverſos paroxyſmos invadunt, decurrunt ac recurrunt, non abſente etiam illa circumſtantia, quando ita miſere affectæ *præſenſionem* aliquam de novi paroxyſmi invaſione habent, ut in digitis pedum, aut *extremitatibus* manuum fremebundus, tremulus, undulans ſubtiliter *ſtrictorius* aut titillatorius ſenſus occurrat, qui ſucceſſive, *intra* abdomen ad & circa confinia uteri, in hypochondria, in dorſum, ad ſcrobiculum cordis, ad ipſum cor, in nucham & denique caput cum ſenſibilibus ſtrictoriis motibus aſcendit, & cum maximo convulſivo vigore & rigore ſeſe in totum reliquum corpus effundit; ſicuti talium *præſenſionum* & *aſcendentium* convulſionum ex *tibia* in reliquum corpus, mentionem faciunt, *Galenus*

Lib. 3. *de Loc. aff. c.* 7. *Fernelius de Morb. Venen. Lib.* 2. *Zacut. Luſ. Med. Princ. Hiſt. Lib. I. Hiſt.* 18. *Tulpius Obſ. Med. Lib.* 4. *cap.* 2. *Borell. Cent.* 2. *obſ.* 95. *Bartholinus Hiſt. anat. Cent.* 6. *hiſt.* 78. *A. N. C. Cent.* 1. *obſ.* 80. aliique è quarum diverſo gradu acerbiorem vel mitiorem futuram invaſionem convulſivam prædicere ſciunt: conjunctæ vero ſunt cum ejusmodi inſultibus aliquando *perfrigerationes* extremitatum inter reliquos rigores, cum alternantibus exæſtuationibus, uti *a Merclino in A. N. C. Dec. II. A. V. obſ.* 243. mirum tale ſymptoma ex Menſibus, quolibet *menſtruo* tempore cum extrema perfrigeratione ſuperficiei recurrens, explicatur & commemoratur: partiale vero & particulare ſpecimen *convulſivæ* tractionis cum *palpitatione* ſeſe exſerentis, exhibetur *à Foreſto Obſ. Med. Lib. X. obſ.* 101. quod ex Venæ ſectione in brachio dextro ſub menſium fluxu adminiſtrata, ortum eſt, & eundem locum nimirum dextrum brachium, prægreſſa menſium *reſtrictione*, temporibus tamen illis, quibus menſes fluere deberent, occupavit: Et quanquam convulſiones tales non ſemper totales exiſtant aut univerſum externum corpus affligant, habent tamen ſuas *viciſſitudines*, intra membra externa, ut modo hoc, modo aliud corripiant & miſerè torqueant.

Th. XIII.

Concurrunt ~~cum~~ hiſce convulſivis motibus alia pathemata, ad convulſionum ſpecimina quandoque pertinentia, nimirum extrema *reſpirandi* difficultas, oppreſſio & *coarctatio* pectoris, quaſi pectus aut thorax cum funibus conſtringeretur; coarctatur aſpera arteria cum ſuis initiis, ut metus *ſuffocationis* aut *ſtrangulationis* adſit, & miſeræ propterea femellæ cogantur aliquando ut violentis *clamoribus* & ejulatibus metum ſuffocationis fugiant, aut ſub defectu rationis tamen ad clamores tales horridos urgeantur, de quibus, ſi rationis uſus & capacitas iterum redit, nihil tamen ſciunt aut nihil percepiſſe conteſtantur femellæ:

con-

concurſat quandoque immanis dolor in abdomine & *hypochondriis*, modo circa uterum ſub umbilico, modo ſub ſcrobiculo cordis, cum extremis anguſtiis in alterum extremum nimirum *lipothymias* pronis, quas anguſtationes adhuc percipiunt, & de illis vehementer conqueruntur quam diu ante plenariam convulſionis invaſionem ratio & ſenſus ſibi conſtant; occupat quandoque terribilis *tremor* membra, quem excipiunt convellentes illi motus; præcurrunt interdum dolores maxime acerbi *dorſum* percurrentes, in *nucham* & *verticem* aſcendentes, & ex abdomine quaſi ſuſtentati & exacerbati: pulſus adeſt irregularis, debilis & confuſus, per vices etiam durus, ſed ordinem atque typum nullum ſervans, ſanguis tamen per arterias atque venas bulliens percipitur, atque multis *oppletoriis* anxietatibus anſam præbet; unde præcludit etiam liberum reſpirationis negotium: excipit modo *æſtus*, modo *algor* & *tremor*: cor ſub maxima inquietudine & anxietate *palpitat*, pulſant tunc arteriæ vehementer in temporibus, & totus vaſorum ſangviferorum complexus in capite quaſi in motu inſolito tremulo & ſubſiliente aut percutiente obſervatur: alternat & intercurrit nonnunquam *vertigo*, maxime caduca, ut ſive ambulantes, ſive ſedentes tales femellæ in latera perpetuo declinent, cum aliquali ſenſuum *obnubilatione* & obſcuratione, quaſi apoplexia immineat.

Th. XIV.

In tanta ſymptomatum copia, quibus ejusmodi femellæ affligi ſolent, illud valet, quod *Helmontius* elocutus eſt, *monſtruoſa eſt virgo, quæ data opportunitate non eſt menſtruoſa*. Unde creduli & hujus negotii non ſatis periti, facile in tali caſu *veneficium* timere & declamare poſſunt: quanquam vero modo varia convulſionum ſpecimina & comitantia pathemata, menſium anomalias referentia, commemorata ſint, occurrunt tamen adhuc plura, & talia quidem, quæ *maximum* gradum *convulſivi* motus produnt, quando miſeræ femellæ ſub paroxyſmo *pollices* intra

tra

tra manus comprimunt, oculos horride & mirifice *diſtorquent*, cum auſtero & teribili aſpectu, os & genas quaqua verſum torquent & diſtrahunt, *ſpumant*, ſtertunt, anxie & horride *clamant* aut murmurant, linguam è faucibus prominent atque extendunt, dentibus *ſtrident*, & cum reliquis artubus miras *geſticulationes* convellentes exſerunt donec talis paroxyſmus iterum decurrat, & cum reliquis multis aliis ſymptomatibus ceſſet, alio vero tempore denuo & quidem non raro acerbius ingruat: quemadmodum convulſionem manuum tantum cum aphonia complicatam ex Menſium ſuppreſſione deſcribit, *Salmuthus in obſ. Med. Cent. 3. obſ.* 28. licet paſſim auctores *epilepſiæ* ex *menſibus* reſtrictis, mentionem injiciant.

Th. XV.

Præter hæc ſatis ardua & ſontica pathemata, quæ cum convulſivis anomaliis concurſant, obſervantur adhuc plura, inter illa vero truculenta conamina *vomibunda* cum ſuffocativis comminationibus, quæ in actuales & ſatis anxios vomitus denique erumpunt, cum multa ſpaſmodica & torminoſa inquietudine in *hypochondriis*, imprimis vero cum *inflatione* ſiniſtri hypochondrii, & vehementi anguſtatione: aut loco horum emeticorum conaminum, urgent multæ & eximiæ *cardialgiæ*, ſub ſcrobiculo cordis arctam compreſſionem & ſtricturam inducentes, ad Lipothymiam usque inſiſtentes, imprimis vero circa illa tempora, quibus menſes comparere aut fluere deberent, corripientes, quæ per cibos ſolidos ingeſtos adhuc magis exacerbantur, ut adverſante ſtomacho ſemel ingeſta alimenta ſub maxima *anxietate* mox iterum egerantur & removeantur: concurrunt in quibusdam ructus multi & vehementer angentes, torſiones, alternantes inflationes in ventriculo, murmura inſolita, quaſi aliquid *vivum* in viſceribus lateat, unde veteres accuſarunt, inimicum quoddam & horridum *animal* in utero reſidens & ut polimorphum & *polypum*, per abdominis viscera ſerpens: angunt interdum *flatulentiæ*

com-

communiter *aſcendentes*, & per ructus ê ventriculo erumpentes, cum maxima tamen anxietate & ſudoris frigidi emanatione, quin plane propenſione in animi deliquium, ſuccedentes, difficulter vero per inferiora exeuntes & ſeſe ventilantes: ſuperveniunt in quibusdam *ſingultuoſæ* concuſſiones, ſatis ſtrenuæ & anguſtantes, modo admodum manifeſtæ & cum multa diaphragmatis & pectoris *ſuccuſſatione* evidenti procedentes, modo etiam *occultæ* & tacitæ ſub maxima anxietate & ſui ipſius impotentia decurrentes quæ tamen ab alio obſervatore aure ad pectus admota, ſuccutiente ſua commotione percipi poſſunt: adeſt etiam circa talia tempora quibus convulſiones occurrunt & urgent, maxima *inappetentia* & ciborum averſio, in aliquibus carnis imprimis etiam quoad odorem ſuum abhorreſcentia, ita ut non niſi ſorbilibus juſculis ſeſe ſuſtentare teneantur, cum indicato modo ſolidiora perferre nequeant: alio vero tempore & extra convulſivas tales invaſiones atque periodos, iterum non modo avidè appetunt, ſed & affatim & multum ingerunt alimenta femellæ: familiaris etiam eſt ejusmodi convulſivis anomaliis valde moleſta incommoda & ſuſpecta alvinæ excretionis *retentio*, ita quidem ut per *plures* dies alvus officio ſuo non ſatisfaciat & plane clauſa, aliquando ſegnis aut ſicca exiſtat, neque etiam facile aut ſæpe permittat, quo liberetur, omnium minime vero poſitivè purgantia & ſtimulantia admittat, ſed tantum temperatiſſima lenientia & laxantia.

Th. XVI.

Antecedunt in quibusdam proximè invadentem convulſivam anomaliam menſtrui negotii, præter alia in ſuperioribus allegata pathemata, adhuc moleſtæ quædam *pandiculationes* & *oſcitationes*, quales febriles intermittentium paroxyſmos præcurrere ſolent, quando antea moleſtus quidam *torpor* & *rigor*, externum corpus occupat, cui mitigando, prædictæ pandiculationes exercentur: ex quo indicio, proximum inſultum convulſivi ſui paroxyſmi ſignifica-

ficare ſciunt: corripitur interdum *caput*, inſolitis & intenſiſſimis doloribus, ab aliis cephalalgiarum ſpeciebus maxime diſtinctis, *immanibus* ſtrictoriis lancinatoriis & pulſatilibus effectibus conſpicuis, adeo ut interdum, pro vulgato more in ſimilibus Cephalalgiis, ſuſpecta quædam *incantatio* accuſari posſit, qualis Cephalalgiæ ſpecies ex turgeſcentia menſtruorum deſcribitur *A. N. C. Dec. II. A. VI. obſ. 69.* præterea adhuc convulſivas tales invaſiones præcurrunt *ſenſuum externorum* obſcurationes, obnubilationes, momentaneæ ceſſationes & titubationes aut deceptiones & fruſtrationes, ſatis ſuperque ominoſæ & terribiles; qui ſenſus tamen mox iterum redeunt, donec *ſub paroxyſmo* violentiori convulſivo penitus *omittant* & evaneſcant: antecedit in diverſis femellis præter alias afflictiones, multa & ſuſpecta *inquietudo in abdomine*, tractoria, conſtrictoria, anguſtatoria, vagabunda & valde dolorifica, ſub illa perceptione, quaſi totum malum *ex utero* & abdomine nunc erumpat, egrediatur, aſcendat, & per totum reliquum corpus ſeſe effundat: ex quo phænomeno quidam inducti fuerunt, quo credant & ſupponant, virulentas *fermentativas* ſubtilisſimas exhalationes & tranſpirationes *uterinas* orgaſticas, univerſum corpus penetrantes, & *nervoſum* genus extreme inimica vellicatione & roſione affligentes, quin denique ad convulſivum talem effectum diſponentes. Maxime omnium vero notandum & tenendum eſt, quod non modo ejusmodi *prodromi* convulſionum, ſed ipſæmet *actuales* & perfectæ convulſivæ anomaliæ cum temporibus & *periodis* menſtruis coincidant, & ex hac circumſtantia commonſtrent, quantam *communionem* & connexionem habeant cum negotio *Menſium*, præcipuè quando poſt *præterlapſa* hæc tempora denuo acquieſcunt, & cum temporibus illis *recurrentibus*, iterum revertuntur: quam circumſtantiam bene agnovit *Bautzmannus* in deſcriptione ſimilis *admirandi exempli*, *paſſionis hyſtericæ in virgine A. N. C. Dec. III. an. I.* inſerti, ubi præter alias hiſtoricas illius caſus

us commemorationes dicit: quod *menſium fluxus huic ſymptomati medicinam fecerit*: & alibi: *ex quo tandem facta deliberatione, colligebatur, omnes illas infirmitates quibus afflicta fuerat, non niſi ex utero & menſibus inordinatè & parcius fluentibus eſſe ortas.*

Th. XVII.

Sicut ſingulæ hæ moleſtiæ aut diverſa talia ſymptomata convulſivas anomalias comitari ſolent, ita adhuc eædem cum pluribus aliis decurrunt, concurrunt aut alternant, præcipuè vero *animi deliquiis* ſive *Lipothymiis*, quæ, ſi convellentes motus fœminam non detinent, cum reliquis urgentibus ſymptomatibus coincidunt, maximè vero cum anguſtatione & oppreſſione *pectoris*, præcluſione faucium, comminatione *ſtrangulatoria*, cardialgia, hypochondriorum afflictione ſpaſmodica, ventriculi imprimis conſtrictione, variante etiam inflatione, & diaphragmatis per ventriculum anguſtatione, aut doloribus ſub ſcrobiculo cordis per transverſum abdominis in ſiniſtrum hypochondrium ſeſe extendentibus, Lienem corripientibus, vomendi conatus urgentibus, & molimina *vomitus cruenti* conſtituentibus & efficientibus, aut denique cum *flatulentia anoterica* conveniunt, alia vero vice in actuales convulſiones mutantur, ut quaſi ſaltus ab uno extremo in alterum contingat, & indoles *anomaliæ* eo magis liqueat. Notabilis etiam eſt illa circumſtantia, quæ inter Lipothymiam & convulſionem *intermedia* eſſe videtur, quando interdum ejusmodi femellæ convulſivis talibus anomaliis obnoxiæ, quoad *externum* corpus immunes & à convellentibus motibus *liberæ* quaſi conſpiciuntur, ſed & *ratione* & *ſenſu* privantur, oculis apertis, torvis & fixis decumbunt, hiante nonnunquam ore, pulſu debili, reſpiratione leni & exigua, quaſi in profunda ecſtaſi nunc conſtitutæ ſint, *internè* vero pathemata *acerbiora* obſervantur, nonnunquam murmura in abdomine, aut ventris intenſæ inflationes, occultæ ſingultuoſæ commotiones, ſuccusſationes hypochondriorum, pollicum compreſſiones, de

qua-

quali ſtatu dicunt: es ſey die Noth mehr innerlich, donec exeunte tali paroxyſmo *vomitus* aut *ructus* aut *flatus* vehementes quandoque occurrant: aliquando ſub tali ſtatu intercedunt anxii *clamores* vel dentium *ſtridores*; ſingulare plane quid eſt, quando ejusmodi femellæ ſub convulſivis paroxyſmis & rationis occultato defectu, tamen articulate & rationabiliter *loquuntur*, devotos hymnos *canunt*, pias orationes & *precationes* proferunt, aut *peregrinis* vel non ſatis cognitis linguis ſermocinantur, expeditè tamen & ſatis doctè carmina & verſus recitant, & de rebus *futuris* loquuntur, adeoque ſtupendas & *miras* ſimiles actiones committunt.

Th. XVIII.

Sub convulſivis talibus anomaliis menſium plurimum laborat *animus*, quando enim iam paroxyſmi corripiunt, evaneſcit communiter & *ratio* & *ſenſus*, ut femellæ ſuperato illo, omnium illorum immemores & inſciæ deprehendantur, quæ præcurrerunt: gravius certe & periculoſius eſt negotium, quando ratio & ſenſus, *uno* quaſi ictu & *impetu* cadunt & ceſſant: plurimum vero contingit, ut *ſucceſſivè* pereant, dum primo ſenſus *obnubilatur* & obſcuratur, maxime vero oculis tenebræ quædam obducuntur & lingua tardior & immobilior redditur: ſunt quædam femellæ, quæ conqueruntur, quaſi certa, & *adverſa* ſpecies *odoris* & *ſaporis* ipſis objiciatur aut occurrat, ob quam poſtea & ratione & vero reliquorum ſenſuum ſuorum uſu privantur: quasdam corripit extrema anxietas *moralis*, ſub qua ſuccesſivè rationis impotentia increbeſcit: quædam *confuſum* uſum rationis exhibent, ut vel plane *delirent*, & perverſa atque confuſa proferant, vel in quibusdam rationis præſentia & uſus adeo *occultus ſit*, ut haud facile agnoſcatur, quin plane *deficiens* præſumatur, ni una & altera circumſtantia præſentiam illius adhuc prodat, & in femellis ſub paroxyſmis convulſivis aliqua *impatientia* obſervetur, aut tacita aut ſecreta *miſeratio* de acerbitate ſui affectus advertatur: adeſt in aliquibus ratio quidem *præſens*, unde & canunt, & precantur, &

præ-

præſagia mira proferunt, ſed deeſt *reminiſcentia* ſui ipſius; unde abſoluto paroxyſmo interrogatæ femellæ de prægreſſis ſuis actionibus, nullius, quicquid etiam commiſſum fuerat, recordantur: quædam ex ejusmodi femellis ſub convulſionibus *horridas phantaſias* experiuntur, nimirum diverſas figuras, viſiones & *phaſmata*, quæ poſtea cum affectu metus & terroris commemorare ſciunt: quædam de *ſpectris*, aliquæ de apparitione diaboli, aliæ de viſione boni angeli aut genii recenſent, nec non confabulationes ſuas quas cum ejusmodi phaſmatibus inſtituerunt & exercuerunt, accuratè recitant, quin in futurum etiam metuunt, ne ejusmodi ſpectrum ſub proxima convulſionis invaſione occurrat; aut gaudent, quando cum bono genio denuo ſermonem miſcere poſſunt, & hæc ſingula cum multa *admiratione* exponunt aut ſignificant. Oculi ſub paroxyſmis ſunt interdum clauſi, plurimum vero aperti, torvi, fixi, diſtorti, aut confuſo motu circumgyrantur, & quaquaverſum in ſua orbita torquentur; aliquando ante convulſionis invaſionem oculis obverſantur ſcintillantes & lucidæ quædam miculæ aut *flammulæ* aut nebulæ, in quibusdam *pupilla* fit major & *plenior*, viſus vero *obſcurior*, donec ipſa convulſio occupet: quæ mutationes circa rationis & ſenſus uſum ſub ejusmodi ſtatu anomalico convulſivo notandæ ſunt.

Th. XIX.

Quando ejusmodi paroxyſmus *præteriit*, excipiunt multæ *debilitationes* tam in *animo*, quam *corpore*: animus eſt abjectus, caput obtuſe dolens, ſenſus langvidi & torpidi, actiones morales langvent & gvavativus ſenſus detinet caput atque nucham: quo diutius etiam ejusmodi convulſivus affectus durat, & quo ſæpius recurrit, eo magis activitas *moralis* hebetatur, ut quoad memoriam, attentionem, apprehenſionem & dijudicationem habeant, quo multam capitis debilitationem accuſent afflictæ femellæ: inſuper etiam de frequenti inſolito & inopinato *frigore* in capite, imprimis *vertice* conqueruntur: in corpo-

re *vires* ordinariæ deſunt, adeſt vero multa defatigatio, & impotentia corpus movendi, donec poſt aliquam moram, qualiscunque activitas & agilitas redeat, ni ſuperveniens novus paroxyſmus hanc virium collectionem intercipiat: in aliquibus etiam evenit, ut *acquieſcente convulſiva* tali commotione, quoad maximum ſuum impetum, tamen paululum continuent tractiones *particulares* remiſſiores in hac vel alia parte ex convulſivis tamen motibus provenientes; porro ejusmodi femellæ in tales anomalias pronæ non facile perferre poſſunt *odores* communes, *ſuaves*, *ſubdulces*, oleoſos, qui alias virium roborationi dicantur, ex quibus facile affectus talis ita exacerbatur, ut non modo vehementius invadat, ſed & gravius inſiſtat, aut ſi mitiorem indolem referat, ſpaſmodicas contractiones circa pectus & in capite cauſetur: neque commode perferre poſſunt, tali anomalia afflictæ, *exæſtuationes* ſive externas ſive internas; hinc à concalefactis locis magnam anxietatem, ſangvinis inturgeſcentiam, moleſtam corporis oppletionem, acerbos capitis dolores, anheloſam & difficilem reſpirationem incidunt: internæ vero humorum exagitationes & concalefactiones, partim ſpaſticas partim plane convulſivas commotiones revocant & provocant: unde à potulentis ſpirituoſis, vinoſis, quin cereviſiis concentratis, ſaturatis, pingvibus & valde lupulatis abſtinere debent: quemadmodum pathemata talia rebellia excitantur à cibis in *primis regionibus* turbas convocantibus, & ad *flatulentias*, aut alvinæ excretionis perturbationes diſponentibus, ut ſunt alimenta ſapida, dulcia vel acida cruda, facile fermenteſcentia ſimiliaque.

Th. XX.

Si convulſivæ tales anomaliæ *periodos* ſuos egreſſæ ſunt, quædam femellarum vires priſtinas, appetitum & aliqualem moralem activitatem nanciſcuntur, vexantur vero aliquando cum *inſomniis* anxiis & horridis qualitercunque timorem & terrorem incutientibus, quæ tantum efficiunt,

ut

ut nonnunquam *ſub ſomno* convulſivas quasdam invaſiones provocent: ſicuti ceterum ratione *animi* in ejusmodi femellis, præter hæc quæ de animi conſtitutione in talibus ſubjectis ad hoſce affectus diſpoſitis, in ſuperioribus dicta fuerunt, notari debet, quod, ſi jam femellæ huic affectui convulſivo ſubjacent, animo adhuc *ſenſibiliores* exiſtant, incontinentiores, magis intranqvillæ & inquietæ, *irritabiles*, facile ſtomachantes & in *exiguas* cauſas invehentes, aut contra ad *terrorem* valde proclives, ab uno *extremo* in alterum admodum pronæ & inclinantes, eo magis res adverſas percipientes, deliberantes, & in memoriam revocantes, *tenaciter* & cum iracundia reſiſtentes, ſolitudinem nonnunquam amantes & deſiderantes, collocutiones vero metuentes & deprecantes, adeoque hoc tempore & ſtatu magis *immorigeræ* ſint: unde familiaria illa animi pathemata, ut ira & terror, hunc convulſivum motum exaſperant & exacerbant: contribuit ad ſimiles anomalias præter præmiſſas circumſtantias concurrentes, etiam deſiderium *libidinoſum* & luxurioſum, ſive quando femellas tales magna & laſciva tenet matrimonii expectatio, & cum hoc affectu menſium *imminutiones* concurrunt: non excluſo qualicunque ſub alio ſtatu & conditione fœminarum, laſcivo appetitu: unde ſub convulſivis motibus interdum obſcœna, inhoneſta, impudica proferunt, quæ de hoc deſiderio non exiguum teſtimonium perhibent: hinc etiam ejusmodi obſervationes atque eventus in Praxi medica conſtant, quomodo *matrimonium* talem afflictionem curaverit & extirpaverit: conf. *A. N. C. Dec. II. An. X. obſ.* 127. & quæ parallela eſt altera hiſtoria *Epilepſiæ* ex retentione menſium *venere*, & *puerperio*, ſanatæ. *Dec.* 1. *A.* 1. *obſ.* 86. conferatur ille caſus miræ *Epilepſiæ*, dæmoniacæ dictæ *matrimonio* curatæ. *A. N. C. Cent.* 1. *obſ.* 23. in qua hiſtoria ſtatus fluxus menſtrui in virgine 18. annorum omiſſus, & liquor tantum genitalis accuſatus obſervatur.

Th. XXI.

Comitantur vero tales anomaliæ convulſivæ *Menſium* nego-

gotium, & quidem vel antequam *prima vice* Menſes erumpunt, vel quando jam *actu* erumpunt, & fluere incipiunt, vel quando in *futuris* periodis menſtruis recurrentibus, menſes iterum *imminent*, adeoque & menſes & menſium periodos ſedulo proſequuntur, *intra* haſce vero periodos interdum acquieſcunt, ni vel *animi* perturbationibus concitentur, aut malo *regimine* provocentur, vel in toto ſtatu immorigeræ & *habituales* redditæ fuerint, ut hiſce etiam temporibus alternent, in qua poſteriori conſtitutione adhuc deterioris indolis exiſtunt. Communiter vero cum menſium imminutione, ſuppreſſione aut difficili eruptione conſpirant, unde exempla inter practicos & obſervatores varia occurrunt, quomodo ejusmodi anomaliæ convulſivæ poſt *reditum menſium* aut per *puerperium* ſolutæ fuerint, quale teſtimonium *convulſionis* ex Menſium ſuppreſſione *puerperio* curatæ obtingit in *A. N. C. Dec.* II. *A. VII. obſ.* 110. *in ſchol.* vel quomodo per *Venæ ſectionem in pede* celebratam extirpatæ ſint, *conf. A. N. C. Cent.* 3. *&* 4. *obſ.* 132. quare attenti practici ſvadent & commendant in quibuslibet aliis *Epilepticis* inſultibus à *plenitudine* ſangvinis productis, *miſſionem ſangvinis* curatoriam ſive in maſculis ſive femellis, ſive Venæ Sectionem in *pede* de qua *Zac. Luſit. Med. Princ. Hiſt. Lib.* 1. *hiſt.* 26. dicit: *gravidæ epilepſiæ correptæ ab utero, ſecta in brachio Vena perierunt, in talo vero, non*, uti *obſ.* 27. *&* 28. Epilepſiam ſævam poſt partum *hirudinibus*, internæ uteri partibus applicatis, curatam recenſet: ſimiliter conſtant teſtimonia practica *convulſivorum* ejusmodi motuum *hæmorhoidum* apertionibus curatorum, *Rhodius Cent.* 1. *obſ.* 65. *Hoechſtetterus Decad.* 8. *Caſ.* 10. *de Epilepſia Venæ Sectione menſtrua curata*: quæ ſingula eum ob finem allegamus, ut intelligamus quomodo ejusmodi anomaliæ convulſivæ *in genere* cum inſolita *retentione* & coacervatione *ſangvinis* conſpirent, in feminis vero, imprimis cum *defectivis* menſium vitiis cohæreant: ſed coincidunt etiam hæ convulſivæ anomaliæ cum largiori imo aliquando *prodigo* menſium fluxu, de quo vero hæ circumſtantiæ conciliandæ

&

& attendendæ ſunt, quod menſes vel *prima* vice perquam *difficulter* eruperint, vel illo jam tempore *anomalicis* quibusdam commotionibus ſtipati fuerint, quod quolibet ferme futuro tempore menſtruo atque recurſu ſimilem *difficilem* eruptionem nacti ſint, quod femellæ valde *plethoricæ* exiſtant, quod animi *incontinentioris* ſint, quod in prægreſſis à liis menſium anomaliis multiplicatas & intricatas aut non ſatis congruas medicationes ſubierint, quod etiam multis & efficacibus *deſideriis* inhæreant, utpote quæ circumſtantiæ præter reliquas conveniunt cum motibus convulſivis, multum menſium fluxum comitantibus.

Th. XXII.

Femellæ quibus *convulſivæ* tales anomaliæ accidunt, communiter ſunt *plethoricæ* & in reliquo vitæ genere per diætam bonam, ad minimum *plenam*, ſangvinis coacervationi tanto magis cauſam præbent: in aliquibus concurrit *ſedentarium* vitæ genus & *ſolitudo*: conjungit ſeſe interdum prædictis convulſivorum horum motuum ſymptomatibus, moleſtus ille & ſuſpectus *fluor albus*, cum multis doloribus accurrens, decurrens & recurrens, maxime vero *menſtruas* periodos affligens & multiplices inquietudines in abdomine introducens: notabile quid adhuc eſt, quod in hiſtorica hujus affectus delineatione adjicere debemus, videlicet quomodo ejusmodi femellæ imprimis ſub paroxyſmo convulſivo aliquando plane *ſupra naturales*, ut *vulgo* videntur, actiones committant, tam circa *lingvas* quas nunquam excoluerunt, proferendas, quam circa *præſagia* vel de ſe ipſis, vel de aliis ferenda, quale inter alia plura exempla placet ſolum illa hoc loco repetere, quorum jam in ſuperioribus mentio facta fuit, nimirum hiſtoriarum à *Bauzmanno* & *Schobero* propoſitarum, quale exemplum etiam *D D. Præſidi* conſtat, cui ante duodecim annos, cum Windsheimii fuerat, ſimilis caſus convulſivæ anomaliæ, cum menſium negotio conſpirantis, oblatus fuit, ut conſilio & auxilio adſiſteret, ubi virgo ægrotans, varias prædictiones veras formaverat ad miraculum audientium & adſi-

ſtentium: quales caſus plane *ſingulares* à vulgatis reliquis excipimus, & tantum aſſeveramus, quod aliquando ſuperior & divina directio influat & concurrat, occulto plane ſcopo, modo ſingulæ circumſtantiæ bene penſitentur & concilientur, ubi continentia & patientia opus eſt: ſed aſſerimus etiam, quod *naturali* quoque modo femellæ incognitas aut non ſatis cognitas lingvas proferre & quædam *præſagia* maxime de proprio *ſuo* corpore formare queant, ut non neceſſe habeamus ſemper ad *ſuperiores* vires confugiendi, quamvis *genericam* divinam providentiam omni pietate veneremur, & profiteamur, quod divinus rerum humanarum arbiter in talibus pariter caſibus, juſtas, proprias & ſecretas cauſas habeat, cur permittat, quo tales actiones etiam juxta vires animæ ſuccedant.

Th. XXIII.

Occurrunt rarioribus quoque exemplis tales convulſivæ anomaliæ ad menſium negotium ſpectantes & retroſpicientes in *gravidis*, hæ enim, quo magis *plethoricæ* exiſtunt & ante ingravidationem *largiori* menſium fluxu purgatæ fuerunt, aut olim circa *menſium* negotium *anomalias* expertæ ſunt, vel diverſas ſuæ plethoræ *commotiones* ſubierunt, nec non *animi* frequentibus commotionibus expoſitæ, nunc ſub imprægnatione, ubi neque plethora deeſt, neque animi perturbationes ceſſant, motus anomalicos ad menſium ſucceſſum reſpicientes, experiuntur, quæ maxime illis *temporibus* ſæviunt & inſiſtunt, quibus *menſes* fluere deberent; & hæ anomaliæ degenerant aliquando in actuales *convulſiones*, cujusmodi hiſtorias obſervatores allegant & commendant: quæ convulſiones in aliquibus gravidis tam diu durarunt, repetitis ſuis invaſionibus & recurſibus, donec fœtus pro *majori* ſui accremento *plus* ſangvinis requiſivit & conſumſit, adeoque *abundantia* ejusmodi plus *imminuta* fuit, ut anomalicis talibus motibus illam proſequi occaſio & neceſſitas non amplius poſtulaverit: unde quædam femellæ ita miſere afflictæ has convulſiones pro *charactere* imprægnationis certæ, agnoverunt:

runt: qualis hiſtoria allegatur in *A. N. C. Dec. II. An. X. obſ. 89. conf. Hoechſtetterus obſ. Med. Decad. VIII. caſ. 6. Rhod. Cent. 1. obſ. 60 Fernelius Lib. V. Patholog. cap.* 3. ſicuti exempla etiam in experientia medica occurrunt *Abortuum*, qui cum *convulſivis* motibus ſucceſſerunt: qui vero abortus cum *Menſium* negotio jam connectere poſſit, facile perſpiciet ille qui motus & molimina illa, ad abortum nunc tendentia, eadem eſſe deprehendit, quæ menſium ſucceſſum in ſchemate anomaliarum convulſivarum reſpiciunt. Neque *viduæ* juniores exemptæ ſunt, quo minus ipſis *convulſiva* talia pathemata obtingant, menſium *anomalias* ſiſtentia, imprimis vero illæ, quæ ſunt *plethoricæ*, in plena diæta vivunt, puerperia cum ſufficienti & *ſtrenuo* lochiorum ſucceſſu ſubierunt, animo vero ita conſtitutæ ſunt, ut ſupra allegavimus, quæ proinde *libidinoſæ* & laſcivæ exiſtunt, otioſæ & ſegnes, in actionibus ſuis immoderatæ, aut quæ *olim* anomalias ſpaſmodicas circa menſium negotium expertæ fuerant.

Th. XXIV.

Ad anomalias menſium convulſivas referimus denique *particulares* illas commotiones, quæ in tantum gradum, uti hactenus deſcripſimus haud facile increbeſcunt, attamen ſatis vehementes & atroces exiſtunt: occurrunt illæ in paſſione *confirmata* hyſterica, & exſerunt ſe ſe cum *ſtrangulatoria* illa affectione, quando ex *abdomine* rigida illa & convellens conſtrictio intra *fauces* aſcendit, pectus opprimit, inſpirationem intercipit, & fœminam quaſi *jugulat*, ut ſenſus & ratio pereant, atque *Syncope* excipiat; inflantur venæ, inturgeſcunt oculi, livido rubore intumeſcit facies, alternat vertigo, quaſi caduca ſive Scotomia, *ſuccutitur* vehementer pectus, convellente impetuoſa contuſione & concuſſione, angunt ſingultus immoderati, coarctatur & ad expanſionem inhabile redditur diaphragma, cum toto thorace, concurrunt anxii ructus, cum violentis ſuccuſſationibus ventriculi & diaphragmatis, excipiunt conamina vomibunda, ſtertunt miſeræ feminæ, ore hiante decumbunt, facies quandoque ipſis eſt cadaveroſa, o-

culi diſtorquentur, intercurrunt quædam vagabundæ colli diſtorſiones, & convellentes oris & genarum tractiones, in abdomine & hypochondriis percipiuntur murmura, palpitat aliquando cor, obſervant femellæ ante completam invaſionem hujus ſuffocativi hyſterici ſymptomatis volutationem cum vehementibus *ſuccuſſationibus* ſtipatam in abdomine inchoantem, & mox intra fauces aſcendentem, de qua dicunt, die Mutter wolle ihnen zum Halß heraus ſteigen, arteriæ aliquando vehementer pulſant in temporibus, pulſus eſt durus & inæqualis, aliquando vero obſcurus aut quaſi abolitus: ut plurium aliarum circumſtantiarum recenſendarum ſuperſedeamus, cum de hac particulari convulſiva anomalia menſium non latius differere ſuſcepimus: ſuffecerit vero etiam hujus mentionem injeciſſe: quod vero hi *convellentes* motus cum *menſium* negotio conſpirent, non modo unanimis conſenſus medicorum confirmat, ſed & *ortus* eorundem ex Menſium *imminutione* & *ceſſatione*, & *finis* ex Menſium legitimo *recurſu* & ſufficiente atque ordinato *fluxu* abunde comprobat: miſſis hoc loco aliis cauſis terrificis, & neſcias, quomodo venenoſis.

Th. XXV.

Reſtat adhuc ut huic Hiſtoricæ convulſivarum menſium anomaliarum commemorationi brevi expeditione *Prognoſticam* aliquam tractationem adjiciamus: unde notari debet, quod totus talis convulſivus affectus *mali* ominis ſit, contumax & perquam refractarius, facilius in *deteriorem* quam meliorem ſtatum inclinans: anomaliæ convulſivæ quæ ex prægreſſis *ſpasmodicis* menſium anomaliis oriuntur, & adhuc cum iisdem mutant, magis confirmatæ, immoderatæ & *pertinaces* ſunt; quo magis *rationis* & *ſenſus* privationem inferunt, eo magis ſunt ſuſpectæ; quo magis *epilepticis* inſultibus accedunt, eo inſolentiores & curatu difficiliores exiſtunt: quando *hæreditaria* diſpoſitione nituntur, eo magis radicatæ, tenaces & immorigeræ ſunt, & eo minus medicationibus auſcultant, aut ad minimum non ſatis prompte, cito &

fa-

facile artificiis medicis obediunt: quo magis tales anomaliæ ex *animi pathematibus* ortæ & per tempus quoddam ſuſtentatæ ſunt, eo incontinentiores, fortiores & tenaciores ſunt, eoque facilius & citius invadunt & *recurrunt:* quæ anomaliæ præter menſtruam periodum adhuc circa eminentes *Lunæ phaſes* corripiunt, illæ maximè ſuſpectæ & rebelles ſunt, minimeque facile curationi obtemperant: anomaliæ convulſivæ, quæ cum *lipothymiis* alternant, malæ ſunt; quæ *prodigas* & exceſſivas ſangvinis profuſiones inferunt, nimias debilitationes & alias periculoſas conſecutiones, vel *hecticas* vel *paralyticas* vel in contracturas deſinentes, cauſantur: quæ vitium in *animo* poſt ſe relinquunt, malæ ſunt: quando cum ejusmodi anomaliis multa *ſpiſſitudo* aut *plenitudo* ſangvinis concurrit, bonum non eſt; ſuſpectum etiam eſt indicium, quando *vertigo caduca* cum iisdem coincidit: quo magis hæ convulſivæ anomaliæ cum *vomitibus* excurrunt, eo magis tendunt ad *vomitum cruentum:* quo contumacius in tali affectu *alvus* occluditur, eo deterior eſt ſtatus: quo magis animus à *conſveta* operandi methodo diſcedit & *novas* quaſi operationes ſuſcipit & exercet, eo firmioribus & profundioribus radicibus malum nititur: *contracturæ* & *paralyſes*, quæ hoc malum excipiunt, ſunt admodum ſuſpectæ, neque facile medelam aſſumunt: convulſivæ anomaliæ, quæ prægreſſas *ſpaſmodicas* menſium anomalias, non ſatis aptè, dignè & dextrè tractatas & *curatas* ſequuntur, deterioris magisque refractariæ indolis ſunt: in *gravidis* ſimiles anomaliæ mali ominis ſunt, quia ad *abortus* inducendos proclives ſunt: quo magis *ſiniſtris medicationibus* tales anomaliæ offenduntur, eo ſenſibiliores & deteriores evadunt: quo *diutius* jam durarunt, eo contumaciores fiunt: deſinunt denique aliquando ejusmodi convulſiones in *apoplecticos* aut *ſuffocativos* funeſtos eventus: concurſus vero *febriles* nihil levant ſtatum hujus anomaliæ, ſed illum magis augent; quo referri meretur quod *Hippocrates Sect. V. aph. 56.* dixit: *in fluxu muliebri* σπασμὸν (uti interpretes exprimunt convulſionem) *malum*

 eſſe;

eſſe; quod tanto magis valet, de perfectis *convulſivis* motibus: quæ potiores ſunt disquiſitiones quoad prognoſticam hujus caſus deductionem & commendationem.

Th. XXVI.

Progredimur jam ad *Pathologicam* præſentis obſervationis, de menſium anomaliis convulſivis, diſquiſitionem & explicationem: ubi quidem ſtatim in memoriam incidit, quod *Hippocrates* in *Libr. de Locis in hom.* profitetur, quando dicit: *eſt fœminino generi pars una, uterus omnium morborum virgineorum & muliebrium ſeminarium & radix*, aut in *Lib. II. De morbis Mul. uteri omnium morborum cauſæ ſunt*, cum quo dicterio convenit, quod *Bartholinus* in *Act. Haſſn. Vol. 3. p. 29.* eloquitur: *Uterus eſt officina rerum mirabilium*, ubi nemo à nobis expectabit, ut uteri ſubſtantiæ *materiali* hanc malignitatem accenſeamus, aut tot *ominoſas*, portentoſas & terribiles virulentias aut *intemperies* de eadem prædicemus, quin potius ejus innocentiam *in hac* cauſa merito defendamus, tanto magis cum officinam tam ſontici actus, circa *generationem* tenerioris fœtus occupati, conſtituere, & eo magis à materialibus *inquinationibus* vacuus eſſe debeat, præprimis cum ipſa uteri conſtitutio phyſica nihil quicquam de ſuſpicione tali indicet, niſi ſolum ex illis *ſonticis* morbis, quibus hæc ſubjecta laborant, quæ utero prædita ſunt, uterum *promiſcue* accuſare malimus, omiſſis tamen dignioribus & evidentioribus rationibus & demonſtrationibus, quæ cum fœminarum *moralibus* & *vitalibus* operationibus majori jure & manifeſtiori vinculo connecti poſſunt: quanquam enim ex eo maſculi quidem diſcreti ſint à femellis, tamen *hypochondriacus* ipſorum affectus ita inſoleſcere & exacerbari poteſt, ut ab *hyſterico* pathemate, quoad *gradus* non multum differat, ut propterea uterus tam terribilis prædicari haud debeat, ni per meras *ſuppoſitiones*, iterato exhalationes & tranſpirationes tales ex utero emergentes pernicioſas, & per reliquum corpus *contagii* inſtar ſe ſe diffundentes, accuſare placuerit, & à *poſ-*

ſibi-

ſibilitate, ad *demonſtrativas* deductiones provocare animus fuerit: à quo tamen modo probandi & diſſerendi adhuc abſtinemus.

Th. XXVII.

Quando vero harum anomaliarum convulſivarum cauſas tradere cogitamus, tunc ante omnia indicamus, quod hæ convulſiones extremis motus *Tonici* augmentis abſolvantur, adeoque maximo & validiſſimo *robore* perpetrentur, ita quidem, ut contra ſenſus diſputemus, ſi in hoc negotio aliquam *debilitatem* accuſare velimus, ni tranſitoria debilitas convulſiones tales *conſequatur*; etenim ſi debilitas convulſionem *antecedere* deberet, & ſi talis perſiſteret, *impoſſibile* plane eſſet, *phyſica* fiendi ratione, quo *ex* debilitate, aut *ſub* illa, tam extremus & *potentiſſimus* motus emergeret; quæ vis impetuoſe & valide *motrix* cum langvore & *imbecillitate* conciliari non poteſt: mirum vero eſſe non poteſt, cur *peracto* aliquo paroxyſmo convulſivo aut etiam pluribus, tandem langvor, torpor, & infirmitas occupet & excipiat, quæ vero non ſemper *continuat*, ni priſtinæ quædam vires revertantur, quæ ad *innovandum* paroxyſmum convulſivum ſatisfaciunt, imo neceſſario requiruntur: merito vero in hoc cauſandi nexu, diſtingvimus *debilitatem* à *ſenſibilitate*, cum neutra harum alteram *eſſentialiter* involvat, & debiles homines *minus* ſenſibiles eſſe interdum deprehendantur, contra vero *valde* ſenſibiles occurrunt, qui quoad reliquum corporis robur admodum *validi* ſunt: unde tantum abeſt, quo in cauſali harum anomaliarum deductione debilitatem femellarum accuſemus, cum potius experientia comprobet, quod femellæ, quando de *debilitate* conqueruntur, *convulſionibus* talibus *non* laborent: & quanquam aliquando quoad vires in *localibus* motibus applicandas, impotentia & ſic dicta debilitas occurrat, aut fingatur vel ſimuletur, minime tamen illa imbecillitas adeo *univerſalis* eſt, ut cum illa exceſſivos ejusmodi motus combinare queamus, dum contra interna illa energia priorem *defectum* extremo motuum gradu reſarciat, quod

fieri

fieri haud poſſet, ſi *abſoluta* infirmitas adfuiſſet, & vires non *reſervatæ* aut retentæ, nunc vero iterum maximo impetu, maxima impatientia & maxima potentia emiſſæ & applicatæ fuerint; quaſi ἀπὸ μηχανῆς recurrant.

Th. XXVIII.

Et dum hæ convulſivæ anomaliæ motibus talibus adminiſtrantur, magis propterea intererit, in illas cauſas inquirere, quæ motus tales *excitare* & provocare ſolent: inter illas cauſas omnium maxime notamus & culpamus *Animum*, quantum enim hujus *immorigera* conſtitutio ad *immoderatas* operationes *vitales* contribuat, quotidiana ſane exempla conteſtantur; eſt vero talis animus ad movendum & reſiſtendum facilis imo præceps, ſed impatiens, incontinens, *exorbitans*, ab uno *extremo* ad alterum proclivis, opem quidem & in rebus arduis, adverſis & periculoſis conſilia & auxilia, urgens & inquirens, ſed cum maxima *irregularitate*, intemperantia & titubatione, imprimis vero interna & cum multa *impreſſione* & imaginatione conjuncta, objectum ſuum, nihilominus cum ſingulari fervore, proſequens, obſtacula & incommoda *ægerrime* perferens, *facilem* cauſam & occaſionem arripiens, *conſvetudinalibus* actionibus & inclinationibus multum indulgens, in *methodica* operationum ſuarum proſecutione non perſiſtens, ſed facile *exerrans*, & quo modum & *mediocritatem* in rebus ſuis ſervet, impos & *impatiens*; juxta talem generalem animi indolem diſponuntur & exercentur motus in *vitalibus* officiis, ut occurrentibus vel majoribus vel minoribus *impedimentis*, circa negotium *menſtruum* motus adeo exorbitent, quo non modo in *extremum* operandi, reſiſtendi & fines ſuos promovendi impetus erumpant, ſed cum maxima incontinentia, impatientia & immodeſtia per *diverſas* partes & regiones exerrent & evagentur, & dum *menſtruæ* evacuationis negotium aliquot incommoda interjicit, ita evenit ut hæ anomaliæ huic negotio jungantur, & cum menſtrua *periodo* redeant, invadant, decurrant & deſinant; quin ipſe animus, ita immorigerus, in culpa eſt, quo tanta irregularitate

men-

menſium & *primæ* eruptiones, & continuationes *futuræ* urgeantur, licet in corpore nulla obſtacula interveniant, ubi confuſa, vagabunda & immoderata *moralis* animi conſtitutio, ad perturbationes *vitales* facillime diſponit: quare evenit, ut prima menſium eruptio, tanquam inſolita, *inexercitata* & adhuc extraordinaria, aut plane moleſta operatio, tanta impatientia, vehementia, auſteritate, *rigore* & extrema violentia urgeatur: qualis exceſſus facile in futuris periodis, velut actio jam ſemel in eodem negotio commiſſa, occurrit, usque tunc ex frequentiori repetitione, totum malum in *conſvetudinem* delabatur.

Th. XXIX.

Quantum ad ſuſcipiendas tales convulſivas anomalias menſium diſcreta & major *Senſibilitas* fœminarum contribuat, meretur etiam ſingularem annotationem: hæc mollities, *teneritudo* & ſubtilitas animi verſatur circa *æſtimationem* circumſtantiarum & occaſionum, majorem, intenſiorem, celeriorem, & tenaciorem, dum non modo objecta quædam, circa quæ præſens operatio occupatur, *repentè* percipiuntur & apprehenduntur, ſed & *majori* affectu & propenſione æſtimantur, vel ut jucunda & accepta, vel adverſa & aliena, proptereaque non modo majori ſed etiam immoderatiori & in exceſſus facile prona energia profligantur aut urgentur, ut vel citius acquirantur & certius poſſideantur, vel efficacius expugnentur & removeantur: Sunt vero ſenſibiles plurimum illæ femellæ, quæ convulſivas ejusmodi anomalias experiuntur; in hiſce enim vel *inconſveta* menſium promotio *ſenſibilitatem* adeo afficit, ut facile *exceſſus* committatur, & negotium illud maxima impatientia & incontinentia urgeatur, quo majus malum eadem metuit, ſi menſes non confeſtim erumpunt, ut propterea majori vehementia & immodeſtia proſecutioni hujus negotii ſtudeat natura: & tale quid tanto magis evenit, quo magis in menſium negotio *difficultates* quædam interjectæ ſunt, velut ſi humores ſunt vel *ſpiſſiores* vel *tenuiores*, ſi viæ ſunt rigidiores & *ſtrictiores*, aut ſi unquam

ex alia cauſa ſive interna ſive externa menſium *liberiori* ſucceſſui impedimentum quoddam objectum fuit, quas cauſas ita *delicate* & *intime* eadem ſenſibilitas arripit, ut cum tanta temeritate, *exorbitantia* & immodeſtia illis occaſionibus & cauſis oppugnandis, omne applicet ſtudium atque *robur*, indeque in exceſſus illos atque *amethodias* delabatur, aut quacunque impatienti &irregulari motuum continuatione hunc fluxum proſequatur: eo certius vero deprædicatam talem ſenſibilitatem offendunt,&ad ejusmodi anomalias diſponunt, *prægreſſæ* diuturnæ ægrotationes, quæ *applicationem* ad hoc negotium menſtruum detinuerunt,& tantum contribuerunt, quo minus energia in vitalibus *juſto ordini* ſtudeat, ſed illud negotium vario modo in variis viis, diverſis motuum gradibus nunc abſolvere contendat, donec denique in extremas illas maximeque incontinentes inventiones & proſecutiones degeneret; quod etiam valet de prægreſſis febribus intermittentibus *præmaturè* cohibitis & cum adſtringentibus tractatis, unde non exiguum præjudicium *menſium* fluxui infertur: neque excipimus illam circumſtantiam, quando *prima* menſium eruptio variis & multiplicatis *artificiis* & experimentis non ſatis *benè* quadrantibus urgetur aut plane immodice impellitur, cui provocationi acculata illa ſenſibilitas facile ſeſe jungit, & totum opus in exceſſum talem conjicit.

Th. XXX.

Eſt proindè ſontica & principalis cauſa ad anomalias haſce convulſivas diſponens famigerata illa *diſpoſitio hæreditaria*, quando filiabus à parentibus *hypochondriacis*, *hyſtericis*, *ſpleneticis*, *nephriticis*, *arthriticis*, *podagricis*, *iſchiaticis*, aut *hæmorrhoidalibus* moliminibus laborantibus, connata eſt ſimilis promptitudo ad motus *ſpaſmodicos* circa promotionem & emotionem *ſangvinis* verſantes, ſuſcipiendos; tanto magis vero quando matres unquam *anomalicis* menſium progreſſibus laborarunt, aut circa *idem* negotium contumaces *ſpaſticas* tractiones aut *convulſivas* commotiones, ſive totales ſive ſtrangulatorias ſolum & per hypochondria exerrantes exper-

pertæ ſunt: evenit inde ut hæc *idea* circa promotionem menſium in talibus motuum gradibus occupata atque intenta, eorundemque motuum *conſcia* & memor, appropinquante illa *periodo* ætatis, qua talis ſangvinis evacuatio ſuſcipienda eſt, activitati in *vitalibus* operoſæ conjungatur, & hoc negotium non modo ſpaſticis, & rigoroſis motibus promoveatur, ſed adhuc majoribus motuum gradibus & exceſſibus incitetur & urgeatur, eo facilius vero exceſſivis motuum gradibus, quia cum illa idea in *hæreditaria* diſpoſitione præſente, major *tenacitas* conjuncta, & talis motuum applicandorum & exercitandorum modus ejusmodi ſubjectis quaſi eſſentialis redditus & *congenitus* atque implantatus eſt, quo privilegio *emphytæ* illius ideæ nixa atque intenta energia, motus tales eo *audacius*, immoderatius, confidentius & impatientius celebrat, quibus ſi ulla ratione reſiſtitur, aut alia difficultas objicitur, facile contingit, ut è jure *primævæ* poſſeſſionis *majoribus* adhuc exceſſibus non modo illis impedimentis excutiendis inſiſtatur, ſed convulſivæ tales anomaliæ acerbius & contumacius continuentur; quare rationem hæreditariæ diſpoſitionis hoc loco non in *materiali*, ſed magis in *morali* cauſa quærimus.

Th. XXXI.

Neque ſilentio præterire debemus quid *Patheticæ* animi commotiones valeant, ad inducendas, cauſandas & provocandas imo exacerbandas atque confirmandas ejusmodi *convulſivas anomalias*; communiter enim femellæ tales quæ anomaliis illis ſubjectæ ſunt, admodum proclives & præcipites obſervantur, vel ad *iracundiam* vel *terrorem*: ſicuti vero in utrisque affectibus, quoad *morales* reſpectus ſatis impetuoſi, repentini, præcoces & immoderati motus occurrunt, ita præſentibus aliis adhuc circumſtantiis menſium fluxum ſpectantibus, iidem affectus tantum efficiunt, quo motus ad expediendos Menſes, impetuoſè, immoderate, & vehementer decurrant: etenim ſi jam in aliquibus ſubjectis propenſio quædam in *inordinatas* menſium proſecutiones adeſt, facile eo contribuit hæc *pathetica* commotio, ut anomaliæ in tanto motu-

um *exceſſu* vel adminiſtrentur vel augeantur, adeo ut affectus animi prædicti aliquando ultimam *impulſivam* cauſam adjiciant, quo præcedentes ſpaſmodicæ commotiones in illum extremum gradum degenerent: hinc porro fieri ſolet, ut ſi jam ſemel convulſivæ tales commotiones ſubjecta corripuerunt, per hæc pathemata impoſterum eædem excitentur, & revocentur, dum activitas animæ modo in *moralibus* excedens, nunc etiam in *vitali* negotio, eundem actum quem aliquoties impetuoſe & impatienter proſequi conſvevit, exceſſive & immoderate exercet; aut executionem moralis *averſionis* in vitales difficultates transfert, & quicquid unquam in menſium negotio adverſi vel impedimenti obtigit, illud priſtinis motuum vehementibus & evagantibus gradibus ex animi pathemate novum ſtimulum ſuſcipientibus, profligat: donec denique & per hanc immorigeri & incontinentis animi conſtitutionem, malum illud obfirmetur & in ſuſpectam *conſvetudinem* delabatur.

Th. XXXII.

Cum itaquè animus ad has anomalias tot ac tantis concurſibus diſponere ſolet, ut non modo per ordinarium morum & operationis mentis ſtatum, ſed & per majorem ſenſibilitatem, hæreditariam diſpoſitionem, & patheticas intenſiones & commotiones easdem excitet, formet & augeat, ita in ipſo affectu non exigua *cooperationis* ſuæ teſtimonia idem ille animus perhibet; quid enim ipſe in paroxyſmis convulſivis ubi à craſſis moralibus reſpectibus & ſenſuum externorum applicationibus ſeſe ſubducit *interna ſubtili meditatione* & *reminiſcentia* operetur, ipſi effectus atteſtantur, dum ſacras vel profanas cogitationes vel ligato vel libero modo profert, *priſtinæ* actionis & capacitatis recordatur, lingvas olim comprehenſas, ſed oblivioni iterum traditas, nunc denuo ſub nova ſubtili reminiſcentia profert, quin plane operationes in *diſtantias* tanquã ſecretos & inconſvetos actus committit, uti alias interdũ anima in diſtans operari poteſt & ſolet, ſed ſub *reſtrictis* maximè circumſtantiis,

ne-

neq; quotidianis eventibus,quod negotium non niſi *ex effectû* quisquam aſſequi licet,quomodo videlicet in ſingularibus abſtractionibus animus in animũ operetur; & ex alterius animi circumſtantiis de *futuris* quibusdam ſucceſſibus certa *præſagia* ferre poſſit, aut ex juſta,*ſubtili* & ſingulari *ſui* corporis obſervatione & attentione, & *mutationum* in eodem occurrentium recordatione, *futuros* effectus & eventus de ſuo corpore, & ſtatu ſuæ *vitalitatis* & ſanitatis prædicere queat: ſicuti ex eodem fundamento quædam fœmellæ prænunciare posſunt, quando & quanta vehementia affectus convulſivus recurret, aut quid alieni aut ſuſpecti in œconomia vitali occurret: hinc neceſſe eſt ut præſagia, quæ ita affectæ ferunt, bene diſtingvantur, ne *promiſcue* tractentur, cum quædam plane *naturali* modo atque ordine formari queant; quæ vero extra *hanc ſphæram* ſunt, eadem non decet ita *temere* naturalibus cauſis immiſcere,quin evidentes *ſuperiores* concurſus agnoſcere: ſed hic *judicio,continentia* & *patientia* opus eſt,ne præfeſtinate neceſſarias circumſtantias deſpiciamus, neve in *extremitates* tantum propendeamus & conniveamus, ut *omnes* effectus, vel mere naturalibus vel ſolum ſupranaturalibus viribus & concurſibus adſcribamus, ſepoſitis tamen illis impedimentis *credulitatis* & *ſuperſtitionis*, aut ignorantiæ elenchi: paucis multa dicere placuit.

Th. XXXIII.

Recordamur itidem in cauſali hujus obſervationis, nimirum convulſivarum anomaliarum circa menſium negotium occupatarum, deductione, *corruptæ*, mollis & delicatæ *educationis*, quæ non parum ad anomalias tales contribuit: hæc enim uti animum ejusque *mores* admodum depravat atque ſeducit, quo minus res *arduas*, difficiles & extraordinarias *continenter* & tamperanter ferat, ſed illis quavis *impatientia*, temeritate & inconſtantia, inſuper etiam maxima *averſione* reſiſtat, ita tantum etiam contribuit, ut impedimenta, quæ *menſium* negotiũ premunt, maxima ferocia & exceſſiva intolerantia & vehementia proſequatur, adeoque ad extremos il-

 los

los convulſivos motus diſponat, cum tenerior & delicatior educatio quælibet, vel *levia* etiam obſtacula *ægerrime* perferat & ſuſtineat, & tanquam minime *adſueta*, maxima tamen averſione excutere & ſuperare contendat: extendit ſeſe vero hæc educatio tam ad *mores* quã ad negotia *vitalia*, & inter hæc etiam ad rationes *diæteticas*; unde contingit, quantum vel leves diætæ *variationes* ad revocandas tales anomalias valeant, aut illis confirmandis contribuant, ut non æque *materiarum* inimicas conditiones rigoroſe & auſtere invehere debeamus, ſed ſcrupuloſam illam, mollem & corruptam *ſenſibilitatem*, per educationem inductam majori jure accuſare queamus. Idem etiam valet de pravis *conſuetudinibus*, tam in *moralibus*, quam *vitalibus* occurſantibus, hæ enim uti communiter majorem *ſenſibilitatem* involvunt, ita eo certius & facilius à via recti deflectunt & actionibus ſuis jam ſæpe exercitis & cum multa *promptitudine* & alacritate decurrentibus, nituntur, in hac vero poteſtate & *poſſeſſione* obfirmatæ, frequentius in *exceſſum* quam defectum tranſeunt, cum ipſa indoles *conſvetudinis* magis promptitudinem ad *movendum* non vero acquieſcundum aut à motibus abſtinendum inferat; quando itaque jam ſubjecta quædam, tam in moralibus quam vitalibus ſtrenue, audacter, temere, impatienter & impetuoſe operari conſveta ſunt, tunc in extraordinario hoc negotio, *menſtrui* nimirum fluxus, vel primum inducendi vel continuandi & ſub diverſis offendiculis repetendi, motus facilius in exceſſum talem delabuntur.

Th. XXXIV.

Quando vero ejusmodi motus jam in *exceſſu* adminiſtrantur, contingit, ut per *gradus* varient, & nunc in *extremum* impetum accreſcant, nunc vero cum *ſpaſticis* motibus alternent; quid quod evenit, ut ſub hac impatientia & immoderatione nunc *externas* partes detineant, nunc *internas* occupent, modo hoc, modo aliud *membrum* corripiant, jam hanc *ſpeciem* convulſivæ commotionis, nunc aliam exſerant, hoc tempore internas partes *fixiori* rigore, aut convellente tracti-

ction in diverſis locis occupent, externas vero quaſi *deſerant*, alio vero tempore in has denuo *recurrant* & illas iterum amittant; inducunt itidem hæ anomaliæ reliquarum *ordinariarum* excretionum retentiones, unde *alvi* liberatio, ut plurimum reſiſtit, & reſtitat, dum motuum impetus atque *fines* aliorſum tranſeunt, alvus vero actu clauditur & ſtringitur, ſicque vel ſurſum vel extrorſum reliqua energia motrix tendat, & exorbitet: imprimis vero contingit, ut ſub ejusmodi exceſſivis corporis commotionibus, *conſvetus* uſus *rationis*, attentio, perceptio & applicatio ejus, una cum *ſenſibus externis* diſpareat, cum jam *aliis* motuum gradibus & *directionibus* exercendis *animus* ſit intentus: maxime vero ſingulæ hæ motuum mutationes, & alternationes occurrunt, ſub confuſo, turbato & erroneo directorio, *extra ordinem* neceſſarium, neque directe utilem & *convenientem* menſium ſucceſſum proſequente, ſed nudo impetu & *vagabunda* impatientia ad illum finem contendente, per prædictas cauſas concitato & huic negotio conjuncto, cum hoc etiam recurrente & decurrente, ſed legitimo illius ſucceſſui, ob excedentem & erroneum ſuum ſtatum, nihil inſerviente, quin *impeditiorem* ejusmodi progreſſum plurimum adjuvante, licet generalis *contentio* hæc non ſit, ſed potius eo conamen hoc tendat, quo *ſummis* viribus fluxus talis *promoveatur*: quare maximo jure has *convulſiones* circa menſium negotium occurrentes, *anomalias*, ſive diſceſſiones a *legitimo*, juſto & congruo ſtatu *promovendorum* & adjuvandorum menſium, vocamus: propterea etiam evenit, ut *erroneæ* tales menſium proſecutiones tam facile in iniquum illum *habitum* degenerent, cum poſt deplorandum *lapſum* generis humani, natura *pronior* proh dolor ſit in *errores*, & magis in deterius ruat, atque in tali ſtatu promptius agilitatem & conſvetudinem nanciſcatur; unde etiam convulſivæ tales anomaliæ tam ſuſpectæ & refractariæ indolis exiſtunt.

Th. XXXV.

Interdum etiam contingit, ut ſingularis illa circumſtantia

con-

convulſivas tales anomalias comitetur,quo minus *contuſiones* partibus diverſis ſub convellentibus motibus illatæ, noxam aliquam inferant, ut ſangvinis ſtagnationes, ſtaſes, livores aut corruptiones ſuperveniant; enimvero dum durantibus jam convulſionibus *attentio ſenſitiva* aut *ſenſibilis*, ad tempus cedit & intermittit, ita neque contuſiones tales *percipiuntur*, nedum *dolor* quisquam inde formatur aut concipitur, hinc femellæ, quando poſt paroxyſmos ad ſe redeunt, prægreſſorum pathematum *inſciæ* ſunt, cum hoc tempore & intervallo ſenſatio ad partes affectas non applicata ſed ab iisdem magis abſtracta fuerit; quando vero contuſiones illatæ noxios effectus poſt ſe trahere debent, neceſſe eſt, quo *percipiantur*, ſecundum quam perceptionem *tonus* in contuſis partibus remittit aut flaccеſcit,ſangvis poſtea in *laxiores* partes non modo copioſius profluit, ſed & in iisdem vel ſtagnat vel plane ſubſiſtit, & futuris *ſuggillationibus* aut corruptionibus anſam præbet: quo magis vero hæc attentio & perceptio à partibus abſtrahitur, eo magis contuſio talis prægreſſa tantum valet, ac *non* commiſſa fuerit, ut peracto paroxyſmo convulſivo,tonus adhuc interceptus in partes ſuas revertatur aut applicetur, niſi ſolum aliqua temporaria debilitas remaneat, (univerſalis tamen,ob prædictos ejusmodi *extremos* motuum gradus&nimiũ adhibitas virium *intenſiones* deſit) donec *ordinariæ* vires tam animi quam corporis ſeſe poſt aliquam moram colligant & reſtituant: ex eo vero non ſtatim concludendum eſſe judicamus, quod, quamvis violentæ contuſiones ſub convulſivis paroxyſmis nonnunquam nihil noceant, *ſupra naturalis* vis in tali ſtatu concurrat, cum juxta hanc demonſtrationem *modus fiendi* naturalis eſt, & majori *ſenſitivæ* perceptionis abſtractione ab ejusmodi membris nititur; loquimur vero tantum de contuſionibus, non vero de actualibus partium continentium *læſionibus*: & ſi cuiquam placuerit, paulo ſpecialius in hanc demonſtrationem introſpicere, penſitet tantum diſcretas & *perſonales* hominum *ſenſibilitates* majores vel minores, unde eluceſcet, quomodo offenſiones quædam, *ſpecie*

ta-

tamen convenientes in uno ſubjecto & præcipitanter & evidenter noxam inferant, in alio vero nullum nocumentum poſt ſe trahant, v. g. quando *minus ſenſibilis* homo, robuſtioris, durioris, & ſimplicioris indolis, ſive cum acicula ſive ab apibus pungitur, *parum* vel *nihil* ſubtilis talis læſio nocebit, quando vero *ſenſibilis* homo, cui vel ſimilis corporis firmitas adeſt, ac priori,(ut refugium & culpa non in *teneritudine materiali*, ſeu corporis, quæri debeat,) tali modo læditur, facile liquebit, quantum ipſi ſimilis violatio officiat: unde comparet quid major vel minor ſenſationis applicatio contribuat, ad effectus & eventus noxios, ex illatis quibusdam offenſionibus; dicimus vero quod *interdum* adeo *eximiè* ſenſitiva illa perceptio membris ſubtrahatur, quo minus commiſſæ contuſiones periculoſæ fieri queant: quod dictum vero uti non eſt de *omni*, ita non eſt de *nullo*.

Th. XXXVI.

Concernunt vero hi motuum exceſſus convulſivi, *Fluxum Menſium*, unde præſenti noſtræ tractationi titulum fecimus, Anomaliarum *Menſium* Convulſivarum, & modo indicavimus, quod hi motus non reſpondeant *effectui*, quoad condignam & juſtam proportionem, ſed dum *convenientem* gradum transgrediuntur, immoderate & contumaciter progrediuntur, in corpus etiam externum egrediuntur, diverſas regiones aggrediuntur, quaquaverſum vagantur, modo huc modo aliorſum fluctuant & tranſcendunt, modo cum ſpaſmodicis motibus mutant & reciprocant, quid quod complicatas & intricatas horum motuum exercitationes involvunt, nihil vero *directe* & *proxime* ad menſium fluxum reſpiciunt, ſed in *diſſitis* tantum viis & diſtantibus locis atque regionibus, deformi & nihil quadrante methodo eo contendunt, ita præprimis eosdem ad *Menſium* anomalias retulimus: quanquam vero utplurimum ejusmodi convulſiones vel *difficilem* menſium eruptionem proſequantur, vel *ſuppreſſum*, *imminutum* aut *deficientem* ſucceſsum urgeant, (in quo ſtatu vel leviter

excuſari poſſent,) attamen etiam contingit,ut menſes jam *fluentes* comitentur, quæ circumſtantia altioris indaginis eſſe videtur,& ubi anomalia plus in *motibus*,quam in *dyſcraſia* materiarum inquirenda erit: minime vero licebit,quantum quidem circumſtantiæ ſvadebunt,talem menſium fluxum pro *legitimo* declamare, ni ex Hiſtoria Practica, præter præcedentes allegatas cauſas impulſivas, etiam obſervare & colligere integrum ſit,quomodo vel *ante* menſium eruptionem, vel *ſub* fluxu eorundem, nihilominus diverſæ digreſſiones & offenſiones intercurrant,quæ motibus hiſce anſam præbent; ut non latius commemoremus, quomodo *tardior* menſium eruptio, & præcedens *difficilior* progreſſio, multiplex & non rara *commotio*, & ſuppoſita promotio maxime per diverſa & *inverſa* experimenta & tentamina *artificioſa*,ut & per *confuſa* regimina, & variatas medendi methodos, imprimis vero per *impellentia* & vehementer urgentia, humores & partes valde excitantia, uterina, ſubtilia, vaporoſa (ubi non poſſumus nobis moderari, quin ingenuo tamen animo reprehendamus illas temerarias commendationes diverſorum ſuſpectorum remediorum aut domeſticorum aut ſpecificorum, dum vix puella aut femella, aut ignobilis aut generoſa familia reperitur, quæ negotii menſtrui vel leviter tantum gnara, aliquid ad menſes promovendos &movendos neſciat &pro coloranda ſua commendatione ad ataviam, abaviam, proaviam, aviam, matrem, materteram, amitam beatæ memoriæ &c. &c. provocare non valeat, quaſi ſæpe experta & probata ſint illa; quæ ſi juxta ſerioſas illas fœminarum & matronarum promiſſiones, tantis affirmationibus atque tropis exornatas, adhibentur, utplurimum ad menſium *anomalias* vel provocandas vel augendas certiſſime contribuunt) ad ejusmodi *convulſivas* anomalias *cauſali impulſiva* ratione excitandas, concurrant: hinc convulſivi illi motus, in futura tempora menſtruam hanc purgationem proſequuntur, licet ſucceſſus ejusmodi ſufficiens imo aliquando *ſuperfluus* eſſe videatur: quæ animadverſio tantum

tum

tum juvat, ne multum in *materiali* inquinamento perquirendo & evolvendo aut invertendo & alterando hæreamus, ſed in *motuum* digna æſtimatione & disquiſitione, (quæ in tota *medicina utilior* & dignior tractatio eſt) majorem operam & induſtriam adhibeamus.

Th. XXXVII.

Sed ne alias ſingulares, notabiles & familiares cauſas ad has anomalias diſponentes oblivioni conſecremus, indicamus quod *ſpiſſitudo* ſangvinis, *impermeabilitas* viarum & partium, nimia ſangvinis *plenitudo*, conſveta alvi *ſiccitas* & induratio, inducta viarum obſtipatio & *ſtrictura*, *diæta* irregularis, *ſpiſſa* & incraſſans, aliquando etiam nimis tenuis, *ſpirituoſa*, valde vinoſa & aromatica, *ſedentarium* vitæ genus, incongrua & confuſa *regimina*, concurrentes reliquarum ordinariarum *ſe- & excretionum* perturbationes, *prægreſſorum* morborum inconvenientes tractationes, concurſus *libidinoſorum* & luxurioſorum *deſideriorum*, *abortus* inconſiderate tractati, prægreſſæ nimiæ *profuſiones* ſangvinis ex aliis excretoriis locis & regionibus, repentini *terrores*, ſub legitimo menſium fluxu occurrentes, ſimultaneæ *refrigerationes* partium inferiorum ſub menſium ſucceſſu libero & ſufficienti, ut inde vel repentina imminutio, vel præceps ſuppreſſio menſium oriatur (omiſſis adhuc reliquis in recenſitas tales cauſas reducendis) ad præſentem affectum conciliandum quadrent: ſi quicquam vero *dyſcraſiæ* ſangvinis in tali ſtatu imputari debet, id plurimum reliquo affectui accidit aut *ſupervenit*, quando *ſub* ejusmodi anomalicis commotionibus reliquæ *ſe- & excretoriæ* functiones turbantur, ut impuritates denique colligantur, licet craſſitiem ſangvinis ab hac *cacoſi* humorum, ſecundum præſentem noſtram tractationem diſcernamus & aſſeveremus, quod hæc ſpiſſitudo omnino convulſivos hos motus antecedere queat: quod denique vulgo de *genere nervoſo* in hac obſervatione diſſeritur, id dum ſatis notum eſt, non multis declamationibus perorare neceſſe aut dignum eſſe reputa-

 mus

mus: hoc tantum aſſerimus quod in hac tractatione accuſatio *compatibilitatis* generis nervoſi pro exhaurienda indole hujus affectus, non ſatisfaciat, in tantum vero ad ſcopum quadret, quod *ſine nervis* motus tales convulſivi perpetrari non queant: unde ſalva hac ſententia, potiores & principaliores tamen rationes merito præferimus: in quibus fundamentis pathologicis convulſivarum talium anomaliarum menſium negotium concernentium acquieſcere placet: reliquas vero ſpecialiſſimas reſiduarum circumſtantiarum conciliationes & collationes ad hæc fundamenta, æquo & amico arbitro commendamus, cum ambitus diſſertationis plura adjicere non permittat.

Th. XXXVIII.

Supereſt adhuc ut *Practicam* harum convulſivarum anomaliarum tractationem annectamus, & indicemus, quantum adhuc ſalubritatis ſperare liceat, in methodo medendi, huic negotio aptanda: placet vero ordine primo in hac tractatione *remotive* procedere, & ſignificare, quid nam hiſce anomaliis officiat aut obſit, quo magis deinde perſpicere queamus, quid iisdem proſit: abſtinendum itaque eſſe indicamus, ab evacuationibus ſangvinis *confuſis*, promiſcuis, prodigis, inordinatis, præcipue etiam nimium *frequentibus*, aliàs ſenſus vitalis huic auxilio ita *adſveſcit*, ut impoſterum ejusmodi applicationem & inde pendentem *alterationem* non amplius *attendat*, & miſſiones illæ ſangvinis omni neceſſario uſu orbentur: neque congruum aut utile eſt, ſi ſangvis è *ſuperioribus* locis ſubtrahitur, dum enim modo motus à *viis menſtruis* magis deflectunt, cavendum merito eſt, ne ab iisdem per tales *anotericas* ventilationes, magis *ſeducantur*: evitandæ ſunt aliæ evacuationes *fortiores*, maxime vero artificiales *vomitiones* & poſitivæ *purgationes*, aut qualescunque ſtimulationes: nocent ſudationes cum multa ſangvinis commotione & *inturgeſcentia* procedentes, imprimis vero diffuſæ: quare commotiones illas internas & prodigas diaphoreſes ſub *Thermarum* uſibus occurrentes, non approbamus: præterea cavendum

dum eſſe aſſerimus, à remediis *calefacientibus*, menſes moventibus aut *impellentibus*, ſubtilibus ſpirituoſis, concentratis, acribus, oleoſis, deſtillatis, volatilibus interno uſu & ſic dictis *uterinis*, nec non ab internis analepticis vulgatis calidis *ſpirituoſis* & nervinis, cum in convulſivo affectu, nervi nulla *roboratione* indigeant, quin potius proſpiciendum eſt, quo exceſſiva nervorum tractio convellens, *demulceatur*; & quanquam poſt convulſivos paroxyſmos *debilitas* quædam remaneat, eſt tamen illa *tranſitoria*, quæ directa nervina roboratione minime promiſcue eget: nocent remedia interna *adſtringentia*: obſunt vulgata *opiata*: abſint negligentiores promotiones *alvinæ* excretionis; omittantur famoſa *ſtomachica* & carminativa calida, flatibus diſſipandis vulgo dicari ſolita: ſeponantur *ſvaveolentia*, ſubdulci, uti exprimere ſolent, odore prædita, qualia ſunt oleoſa, ambrata, moſchata &c. neque *internus* Caſtorii uſus convenit, quoniam ſangvinis adverſæ turgefactioni concitandæ concurrit, affectas partes propterea moleſte afficit, & internis *anguſtationibus* cauſandis contribuit: ſpecifica antepileptica aliisque convulſivis motibus oppoſita parum ſatisfaciunt votis & deſideriis artificis, imo quamdiu menſium fluxus *ſubſiſtit*, nihil conferunt: ab *experimentis* nihil probatis ſedulo abſtinendum, neque enim in tali affectu locus eſt tentare aut *experimenta* inſtituere, ni malum ſemper fiat deterius: porro nocent *copioſæ* medicamentorum ingeſtiones, & complicatarum indicationum proſecutiones, aut diverſarum medendi methodorum variationes. *Acidularum* uſus in hiſce anomaliis non eſt probatus, neque ſingulare quid ad *eſſentiam* affectus contribuit, licet ipſis virtus aperitiva & abſterſoria aſſignetur miraculoſa, dum enim magis *materiis* proſpiciunt, *motibus* illis exorbitantibus, mitigandis nihil conferunt, *maximum* enim vitium hæret in motibus, & licet *primæ regiones* per alia ſubſidia efficaciſſime abſtergantur & repurgentur, teſtatur tamen experientia, quod convulſiones tales nihilominus continuaverint. *Fonticulorum* uſus eſt in ejus-

modi affectu incertus atque dubius, quin magis *æquivocus:* regimina confuſa & inordinata valde obſunt: neque adeo multum externa nervina indoli affectus reſpondent.

Th. XXXIX.

Quod curatoriam & *poſitivam* quidem methodum hiſce anomaliis medendi attinet, ordinamus tunc, quo ante omnia *alvina* excretio in ordinem juſtum convertatur & liberetur: fiat hoc ipſum per mitiora & ſecuriora *laxantia* & abſtergentia: è laxantibus conveniunt *Rhabarbarina*, ſive in ſubſtantia ſive infuſo temperato, remixtis radicibus Helenii, Caryophyllat. pimp. alb. diptam. alb. gent. rubr. ariſtoloch. rot. Cyperi rot. Coſt. dulc. herbis Meliſſ. menth. abrotan. rorismar. puleg. cochlear. Cent. min. floribus Cent. min. ſtæchad. arab. Sambuc. anth. Sem. fœnic. carv. bacc. laur. Cort. aurant. addendo aliquid radicis bryoniæ: aut conferunt pillulæ temperatè aloeticæ cum extractis helenii, cochlear. Cent. min. C. B. abſynth. abrotan. meliſſ. gent. rubr. Chaccarill. & gummatibus reſolventibus parandæ; quo ſtrictior & ſiccior alvus fuerit, & quo magis flatulentiæ moleſtæ concurrant, eo magis proficit *Clyſterum* uſus: ſint vero clyſteres parati ex ſpeciebus emollientibus, addendo roborantia ut rad. pimp. alb. helen. gent. rubr. herb. Meliſſ. menth. puleg. rorismar. abrotan. matricar. flor. betonic. ſalv. anth. ſem. fœnic. carv. bacc. laur. remiſcendo olea lenientia & alvum emollientia: pro *leniendа* alvo conferunt interne humectantia, diluentia, potus ſufficiens, juſcula pingvia, gelatinoſa, fluida, mucilaginoſa, hordeacea, avenacea, dilutiora lacticinia: abſtinendo tamen ab ejusmodi ſubſtantiis, quæ *flatus* cauſari ſolent: ad abſtergentium, incidentium & digerentium numerum pertinent, Salia digeſtiva & Tartariſata, quæ placide alvinam excretionem facilitant: evitando vel craſſa vel copioſa abſorbentia, quæ alvum impaſtant & *deobſtruunt*, habet etiam Magneſia alba ſuos fautores, quæ modeſte alvum admonet & liberat.

Th. XL.

Th. XL.

Non minus ab extra pro facilitanda excretione alvina, & diſſipandis flatibus conveniunt linimenta regioni umbilicali adhibita ex oleis chamomill. Lil. alb. rutaceo, irino, anethino, oleis deſtillatis menth. meliſſ. anth. major. cort. aurant. fœnic. addendo tantillum Caſtorii: laudamus porro Ventilationes ſangvinis opportunas, & quidem bis per annum *præſervatorio* ſcopo in *pede* ſuſcipiendas, proſpiciendo ne nimium ſangvinis emittatur: Imprimis vero expedit circa illa tempora quibus paroxyſmi convulſivi *recurrere* ſolent, alvum liberare, deinde uſurpare remedia temperantia, ex quibus pulveres uſitatos *Nitroſo Cinabarinos* ſedulo repetendos laudamus: eximii uſus ſunt *Pillulæ Stablianæ* temporibus illis frequenter adhibitæ: conjungantur iisdem periodis *pediluvia*, & excludantur ſenſibiles refrigerationes partium inferiorum: in ſubjectis *floridioris* habitus laudamus *acidulata* temperatiora & in delicatioribus ordinamus emulſiones ex aqua Scord. Meliſſ. Scabioſ. Plantag. Flor. Sambuc. Tiliæ, roſarum cinnam. borroginatæ, ceraſorum nigrorum, Naph. Lil. convall. ex amygd. dulc. & ſem. papav. alb. paratas: concedimus etiam circa tempora menſtrua, decocta ex rad. Cichor. Scorzoneræ. liquiritiæ. Coſt. dulc. herba Millefol. Meliſſ. Scord. Sem. Fœnic. Cort. Citr. Paſſul. maj. hordeo excorticato: non minus conferunt ante paroxyſmum ſpecies de hyacinth. Corall. rubr. præparata & Cort. Chaccarillæ, vario modo remiſcenda.

Th. XLI.

Similiter ante invaſionem paroxyſmi convulſivi laudamus miſcelam ex Eſſentia Millefolii & Tinctura Chaccarillæ; ipſum extractum *Chaccarillæ* tantum efficit, quo excedentes hos motus tranqvillet atque ſedet: uſus Caſtorii *externus* in abdomine & dorſo demulcet itidem convulſivos ejusmodi exceſſus, modo etiam temperanter adhibeatur: *Thermæ* non niſi temperatæ & ſub maxima moderatione adhibendæ, con-

ce-

cedi poſſunt: Abſint in *Diæta* omnia ſpirituoſa, ſubtilia, nimium aromatica, vinoſa, ut & primas regiones perturbantia & valde confermentantia: ſerventur temperantia in diæta; neve corpus nimium cibis obruatur; animus ſit temperans, tranquillus & à patheticis commotionibus liber: conferantur potius ejusmodi *Regimina*, quæ animum in conſtanti agilitate, præſentia, atque oblectamento, de objectis gratis & deſideratis concepto, conſervant: evitetur ſedentarium vitæ genus, & ſufficienter mobile conjungatur: aura ſeligatur temperata & ſerena, ſomnus nihil turbetur: alvus in conſtanti *ſucceſſu* conſervetur: ſucceſſive etiam, ſed admodum moderate, menſium fluxus *promoveatur*: ſi vero largior fuerit, ne coerceatur; ſufficiunt prædicta auxilia, quo huic etiam incommodo moderentur: externe denique adhuc vertici & nuchæ ut & dorſo applicandam concedimus, mixturam ex *Spir. Vin. Camphor. Spir. lumbr. Terreſtrium, formicarum, Lil. convall. & Eſſentia Caſtorii & Croci.* Et hæc ſunt, quæ in practica conſideratione præſentis obſervationis de *Anomaliis Menſium Convulſivis*, fundamentalibus reſpectibus ſatisfacere poſſunt: ſed cum alibi peculiari Diſſertatione à *D. D. Præſide Anomaliæ Menſium* in genere explicatæ fuerunt, hac vice non placet pluribus hoc negotium deducere & commendare. Obſignamus vero hunc noſtrum laborem, cum laude, quam divino nomini humillime & debemus & tribuimus, quod gratia ſua nobis in exponendo hoc arduo negotio adeſſe voluerit: rogamus etiam eandem divinam clementiam, quo noſtra conamina in futurum ita dirigat, ut ſalutariter ſemper cedant atque exeant.

) o (